DE

CONTIGUARUM CONSONANTIUM

MUTATIONE

IN LINGUIS SLAVICIS.

SCRIPSIT

MARTINUS HATTALA.

(EX ACTIS REGIÆ SCIENTIARUM SOCIETATIS BOHEMICÆ. SERIES V. TOM. XIV.)

PRAGÆ 1865.

SUMTIBUS REGIÆ SCIENTIARUM SOCIETATIS BOH.

TYPIS Dris EDUARDI GRÉGRI.

F. Tempsky in Prag.

Conspectus.

I) Generalis consonantium mutatio.

II) Specialis consonantium mutatio.

DE MUTATIONE

CONTIGUARUM CONSONANTIUM

IN LINGUIS SLAVICIS.

SCRIPSIT

MARTINUS HATTALA.

(EX ACTIS REGIÆ SCIENTIARUM SOCIETATIS BOHEMICÆ. SERIES V. TOM. XIV.)

PRAGÆ 1865.

SUMTIBUS REGIÆ SCIENTIARUM SOCIETATIS BOH.

TYPIS Dris EDUARDI GRÉGRI.

In consuetudine communi quot modis literarum commutatio sit facta qui animadverterit, facilius scrutari origines patietur verborum.
VARRO de ling. lat. 5, 6.

Discrimen fluidorum et solidorum elementorum ita permeat universam rerum quae sentiri possunt naturam, ut nihil sit, cur prorsus repudietur sententia quam nuper J. Grimm, sagacissimus grammaticus germanicus, hac ratione satis concinna pronuntiasse mihi videtur: „Omnes, inquit, soni linguae dividuntur in vocales et consonantes, illæ sunt liquidiores, hae solidiores. Consonantes licet nominare ossa et musculos loquelae, vocales sunt id, quod solidas partes permeat et animat, sanguis et spiritus. Consonantes videntur suppeditare, ut ita dicam, corpus, vocales animam; in consonantibus nititur figura, in vocalibus color: deficientibus his deesset linguae lumen et umbra, consonantibus autem sublatis desideraretur materia, in quam lumen et umbra caderet.“ Porro confert summus ille vir vocales cum sexu muliebri, consonantes autem cum virili, conficiens simul ex his: primum vocales multo facilius et saepius mutari, quin etiam evanescere quam consonantes; deinde nullam esse in lingua germanica radicem, quae vocali sola constet. [1])

Nec in slavica ceterisque filiabus stirpis indoeuropææ radices ita imbecillas primitus vigere potuisse, vestigia ejusdem auctoris tacite premendo jam undecim abhinc annis asseveravi, [2]) quod celeberrimo A. Schleichero vehementer olim displicuit, quamvis facillime suspicari potuisset, me vix effugisse quae hac de re Fr. Bopp, conditor artis linguarum comparandarum, principalesque sectatores ejus sentirent. [3]) Argumenta, quibus opinionem meam

---

[1]) Deutsche grammatik. I. th. 3. ausg. Göttingen 1840. pag. 30, ubi postremo haec legere licet: „Den individuellen begriff einer deutschen wurzel ergeben nur beide, vocal und consonant, zusammen. Keine wurzel ist uns bekannt, die bloss vocalisch wäre, aber auch keine scheint annehmbar, deren entfaltung nicht von sicherem vocalwechsel abhienge. Kann in gewissem betracht der vocal das weibliche, der consonant das männliche princip der sprache bezeichnen, so lässt sich auch sagen, dass die zeugung jeder wurzel nur in der vereinigung beider geschehe.“

[2]) Zvukosloví jazyka staro- i novo-českého a slovenského. V Praze 1854. pag. 10.

[3]) Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien. Wien 1854. pag. 480—482 et Literarisches Centralblatt für Deutschland. 1854. N. 19, pag. 303. Utroque loco continetur censura opusculi mei modo commemorati et quidem illic a Schleichero, hic autem incerto auctore vulgata.

primo contra Schleicherum, post adversus Th. Buslajevum, russicum grammaticum haud mediocrem, tueri enisus sum, [4]) hodie quoque tam gravia mihi esse videntur, ut summum aut extremum, quod hac ratione concedere velim, in eo consistat, de rebus ita arduis necdum vel ope ejus artis, quae in linguis comparandis occupatur, sententiam qua omnis controversia dirimatur ferri posse, quamvis laetus gratusque concedam, artem illam non solum recto jam talo stare, sed etiam tendere usque porro processu in dies feliciore. Nihil enim prorsus obstare puto, quominus libenti animo obtemperem C. J. Cobeto, modestissime optanti: „Utinam, inquit, tandem ea omnibus ratio placeat, ut quae sciri nequeant, desinant sibi reperisse videri. In contemtum seque et sua studia adduxere, qui nihil sibi ignotum, nihil obscurum esse postulantes ineptire malunt quam ignorantiam fateri. Ab eorum errore sic cavendum nobis censeo, ut tacere quam nihil dicere antiquius habeamus abjectoque quidquid sonet vitium, quod sanum et solidum sit solum retineamus, ac nesciamus multa potius aliquando fortasse reperienda quam veris et certis falsa et inepta miscendo committamus, ut omnia pariter levia ac vilia fiant." [5])

Nihilominus tamen istam quoque a Schleichero scriptam esse, inde conjicere licet, quod praeter eum vix quisquam illo tempore utebatur vocabulo „altkirchenslawisch" ad designandam sacram linguam Slavorum veterem, quam Fr. Miklosich palæoslovenicam appellare mavult, ego autem jam annos abhinc decem, ut infra latius perscribam, priscis Bulgaris propriam fuisse, itaque priscam bulgaricam nominandam esse contendi. At utcunque se res illa habeat, id omnino certum est, in postremo laudata censura haec quoque legi: „Der Verfasser ist nicht nur mit den Werken Šafařík's, Miklošić's u. A. so wie mit dem Altkirchenslawischen, der Grundlage aller slawischen Sprachforschung, vertraut, sondern hat sich auch in den Leistungen eines Bopp, Pott, Grimm, Diez u. A. fleissig umgesehen."

[4]) Srovnávací mluvnice jazyka českého a slovenského. V Praze 1857. pag. 159, quoad ejus in illo libro usui scholarum destinato fieri poterat; accuratius in censura grammaticæ russicæ a supra laudato viro scriptæ (Časopis musea král. českého. V Praze 1862. pag. 153—155). Qua quidem in re omne oleum et operam vix perdidi, cum tandem aliquando etiam Schleicher concedat, radicem quae cyrillica scribendi ratione literâ и denotatur potius *ji* quam *i* sonuisse linguâ pbulg. et radices solis vocalibus constantes in dubitationem vocet (Compendium der vergleichenden grammatik der indogermanischen sprachen. Weimar 1861/2. pag. 108 et 287). Ultimo scilicet loco videtur transire velle in sententiam eorum qui docent, nullam vocalem, siquidem sola efferenda sit, prorsus pure seu ita sonare posse, quin illam spiritus quidam antecedat, sed de his alio loco pluribus. Confer interim praeter annotationem 24 ea solum, quae ab eodem anno superiore de radicibus vocum indoeuropæis in genere his verbis tradita sunt: „Die schwirige lere von den wurzeln des Indogermanischen ist zur zeit kaum in iren umrissen fest gestelt, vor allem tut not eine sorgfältige erforschung der wurzelformen des Indogermanischen" (Die wurzel ak im Indogermanischen von Joh. Schmidt. Mit einem Vorworte von A. Schleicher. Weimar 1865. pag. VI).

[5]) Oratio de arte interpretandi grammatices et critices fundamentis innixa primario philologi officio. Lugduni Batavorum 1847. pag. 7.

Quod tamen ad comparationes supra laudatas attinet, dubitari sane nequit, quin eas unquam aut J. Grimm aut ego, si tanto nomini leve meum adjungere licet, excipere voluerimus a regula, qua omnis similitudo claudicare juste judicatur: nam „nihil in rebus humanis voluit esse rerum natura tam simile, quod non aliqua proprietate secerneret.“ [6]) Nec unquam persuaderi mihi posse arbitror, comparationes easdem a natura rei tam alienas itaque ineptas et viles esse, ut jubente Schleichero [7]) nihili omnino pendendæ et spernendæ sint. Quod quidem impune fieri non posse, facile est probatu. Etenim jam Vitruvio [8]) testante „vox est spiritus fluens et aëris ictu sensibilis auditui,“ Schleicher quoque ipse nuperrime potestatem sibi datam putat sermones plane entium revera exsistentium instar habendi, etiamsi nec manibus prehendi nec oculis videri, sed fere solis auribus percipi queant; [9]) atqui prima elementa linguae, vocales consonantesque, audiri nemo sane infitias ibit: necesse ergo est ad similitudinem rerum quae sentiri possunt accedant. Itaque minime mirandum est, nec olim defuisse nec hodie desiderari viros summa doctrinæ laude insignes, qui non dubitarent elementa linguæ non solum cum rebus a Grimmio adhibitis, sed etiam cum aliis similibus comparare. Juvat duntaxat duos eorum nominatim proferre: germanum A. F. Pottium, ingeniosum summi Boppii æmulum, ac P. J. Šafaříkium, gentis nostrae decus. Hic enim jam annos abhinc undeviginti docuit vocales esse elementa fluida sive liquida, consonantes autem solida; has proinde proxime accedere ad corpus tardiusque mutari quam illas, utpote quae sint spiritui simillimae. [10]) Pott autem decem annis ante illum vocales sexui muliebri consonantesque virili conferendas esse existimavit et, postquam per quinque lustra in enucleandam naturam constitutionemque linguarum non solum indoeuropæarum, sed etiam complurium aliarum omni qua par erat contentione virium incubuisset, tantum abest, ut comparationem illam retractet, ut praeter eam alias quoque laudet. Verum tamen et perbene novit et ingenue confitetur, difficultates, quibus ratio, qua vocales et consonantes inter se differant, summopere obstructa est, comparationibus ejusmodi nequaquam ita expediri posse, ut nihil amplius negotii supersit, aut quod

---

[6]) M. F. Quinctiliani declamatio 8, 12. Ed. Bipontinæ 1784 vol. III, pag. 156.

[7]) Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien. 1854. pag. 481 et Beiträge zur vergleichenden sprachforschung. Berlin 1858 seu tom. I, pag. 253, ubi ceteroquin a pag. 245—255 de grammatica mea in annotatione 4 commemorata tam scienter et benevole judicat, ut me continere non possim, quin illi denuo gratias quam maximas agam (Cf. Mluvnica jazyka slovenského. V Pešti a B. Bystrici 1864/5. pag. III).

[8]) De architectura 5, 3. Ed. Argentorat. 1807 pag. 134.

[9]) Über die Bedeutung der Sprache für die Naturgeschichte des Menschen. Weimar 1865. pag. 10. Ut in hac re gravissima, utpote quae ad propositum meum rite exsequendum plurimum, ut infra patebit, conducere possit, nihil usquam obscuritatis relinquatur, lege quaeso saltem prima ipsorum viri doctissimi verborum, quæ sunt: „wir halten uns für berechtigt, die Sprachen geradezu als etwas materiell Existierendes zu betrachten“ et pro comperto habeto, dictum hoc conclusionem esse innixam plerumque comparationibus iisque ita constitutis, ut non multum aut prorsus nihil cedant supra laudatis, sive audaciam sive sollertiam, qua factae sint, spectaveris.

[10]) Časopis českého musea. 1846. pag. 414.

fere idem est, discrimen illud comparatione adhibita non penitus explicari, sed solum aliqua ex parte illustrari. [11])

At quoquo modo se haec generatim habeant, id in quo comparationes laudatæ potissimum nituntur et quod ad propositum meum exsequendum sufficere mihi videtur, ne Schleicher quidem negat, cum nulla fere occasione prætermissa plus minusve aperte perhibeat, vocales longe pluribus vicissitudinibus obnoxias esse quam consonantes. Ut exemplo utar, in lingua germanica illo teste vocales primo aspectu sine ulla lege mutari videntur atque revera tantopere variant, ut quomodo comparatae sint vix explicari possit, nisi ratio habeatur illius primae linguae, qua nimirum auctores stirpis indoeuropææ usi sint. Ex contrario consonantes longe minus sunt mobiles vocalibus, utpote in quibus solis consistat tota vis et natura flexionis, qua linguae summae perfectionis insigniuntur. [12]) Praeterea contendit idem: primum radicibus materiam, flexione autem illarum formam cogitatorum denotari; deinde loquentes quoscunque a forma sonis designanda persaepe abstinere; postremo linguas semiticas ab indoeuropaeis eo potissimum differre, quod in his vocales radicibus propriae sint, in illis autem radices consonantibus solis constent. [13])

Quis igitur his omnibus rite expensis non facile sibi persuadeat, consonantes duntaxat in linguis flexione praeditis quodam modo majoris momenti esse debere vocalibus? Quis porro non concedat, mutationes consonantium et digniores et faciliores esse explicatu quam vocalium? Quis denique non putet, vicissitudines consonantium in iis praesertim linguis, in quarum natura constitutioneque explicanda praestantissimi Boppii sectatores usque ad hoc tempus plurimum et prosperrime desudarunt, saltem ita, ne dicam melius, perspectas et ad artem praeceptaque revocatas esse ut vocalium? Nemo sane, nisi qui progressus in his studiis factos ex veritate aestimare aut non potest aut qualicunque demum consilio recusat. Contra intelligentes et justos harum rerum judices id etiam facile concessuros spero, mutationes vocalium in qualibet linguarum illarum longe melius explicatas et accuratius descriptas esse quam consonantium, si sententiam hanc illo solum exemplo quo supra usus sum breviter probavero.

Quamvis enim vocales germanicae mirum quantum difficultatis habuerint, contigit tamen

---

[11]) Etymologische Forschungen. Lemgo 1833 et 1836. Tom. II, pag. 401 et editionis alterius ibidem a. 1859 inchoatae tom. II, part. 1, pag. 12—15 ac imprimis pag. 209 et 210, ubi diserte haec leguntur: „Den physiologischen Unterschied in dem polarischen Gegensatze zwischen den beiden phonetischen Hauptclassen von Grundelementen der Sprache, Consonant und Vocal, scharf zu bestimmen, hält ganz ausserordentlich schwer. Und desshalb hat man sich häufig mit Bildern und Vergleichen begnügt, die, wie hübsch und treffend auch an sich, doch höchstens die halbe Wahrheit enthalten. Derartige sind Körper und Seele, oder Knochen und Fleisch; Männliches und Weibliches; Didaktisches und Lyrisches; verständiges prosaisches Element sowie auf der andern Seite das poetische und musikalische.

[12]) Die deutsche Sprache. Stuttgart 1860. pag. 131 et 195.

[13]) Ibidem pag. 6 et 20—26. Zur Morphologie der Sprache. Aus den Mémoires de l'Académie imp. des sciences de St.-Pétersbourg (VII Série. Tome I, Nro. 7) besonders abgedruckt 1859. pag. 2 et 28—32. Beiträge zur vergl. sprachforschung. II, 236—244. Compendium der vergl. gramm. der indogerm. sprachen. pag. 2 et 3.

sectatoribus imprimis Boppii naturam vicissitudinesque illarum ita enodare, ut nihil omnino sit, cur dissentiamus a Schleichero dicente: „besonders, inquit, bei den Vocalen sind die Verhältnisse in sich selbst so klar, durchsichtig und so zu sagen symmetrisch, dass auch in der blossen Zusammenstellung (appone quaeso: der darüber angestellten Forschung) eine gewisse Gewähr für die objective Richtigkeit derselben liegt.“ [14]) Cum porro inter omnes constet, vocales etiam in lingua germanica longe pauciores esse consonantibus, oportet ea quæ de illis tradenda sint copiâ cedant rebus praecipiendis de consonantibus. At apud Schleicherum ratio rei hujus prorsus alia est. Tantum enim abest, ut de vocalibus brevius, ut fere triplo copiosius doceat quam de consonantibus. Quod autem ad qualitatem doctrinæ utriusque attinet, dubitari sane nequit, quin illa huic longe præferenda sit. Quis enim potest esse tam aversus a vero, qui neget, a Schleichero vocales germanicas ideo potissimum multo latius tractari quam consonantes, quod natura et vicissitudines illarum exactius cognitæ sint quam harum? Quis non suspicetur potius, Germanos in mutandis consonantibus longe minus segnes fuisse quam grammaticos diligentes in observanda et explananda indole illarum? Ceterum censeo, grammaticos in reprehensionem ejusmodi eo facilius incurrere potuisse, quo certius est, vicissitudines consonantium germanicarum minus contortas aut impeditas esse quam vocalium et jam Ovidium petulanter quidem, sed naturae humanae generatim convenienter cecinisse: „nitimur, inquit, in vetitum semper cupimusque negata.“

Nec in lingua slavica rationem rei hujus longe aliam esse, inde satis superque patet, quod Fr. Miklosich, vir de arte nostra grammatica mirifice meritus, vocales slavicas pariter multo copiosius pertractat quam consonantes, [15]) etiamsi omnes linguarum comparandarum studio dediti compertum habeant, Slavos in vocalibus immutandis inertiores, in consonantibus autem transformandis longe magis industrios fuisse Germanis, quorum præstantissimum grammaticum, J. Grimmium, ille sibi imitandum proposuerat. [16]) Operae pretium igitur est de mutationibus consonantium imprimis contiguarum seu quarum binae aut plures colliduntur in linguis slavicis quaestionem instituere et quidem eo diligentiorem, quo vicissitudines illae et frequentiores sunt ceteris majorisque momenti et quo facilius demonstrari potest, Schleicherum ipsum in iis explanandis parum profecisse, quamvis etiam in linguis slavicis comparandis merito magna vigeat auctoritate. Priusquam tamen ad id quod mihi propositum est aggrediar, oportet rationem, qua id executurus sim, breviter exponam et in tuto collocem.

Itaque missis ambagibus declaro, nondum esse tempus in explicandis consonantibus et ceteris linguarum slavicarum proprietatibus diligentius habere rationem reliquarum indoeuro-

---

[14]) Die deuts. Sprache. pag. 132. De vocalibus agitur ibidem a pag. 131—194, de consonantibus autem pag. 88, 89, 96—100 et 195—211. Discrimini eidem leviter attacto quodam modo congruentius tractantur elementa linguae gothicae in Compendio modo l. idque: vocales a pag. 124—134 et consonantes a 268—283. Velim demum, animadvertat lector, mihi probe notum esse, a Schleichero literam *th* pro *t* in vocabulo Gothus aliisque ab eo ductis improbari.

[15]) Vergleichende grammatik der slavischen sprachen. I. B. Lautlehre. Wien 1852. De vocalibus pbulg. agitur ibidem a pag. 8—164, de consonantibus autem a 164—224; de vocalibus porro slovinicis a 164—249, de conson. a 249—262 et quae sunt reliqua.

[16]) Slavische bibliothek. Wien 1851. I, 273.

pæarum quam illis ipsis investigandis et in lucem proferendis operam dare. Non sperno igitur neque parvi pendo eorum labores, qui nostra praesertim memoriâ e remotis Indiae recessibus novas vias tam ad retegenda humani sermonis primordia quam ad singulas linguas recte tradendas aperuerunt. Lætus gratusque felicis sollertiae suavissimas primitias accipio nec vana spe plura in diem et certiora erutum iri exspecto. Sed grammatico slavico hæc adhuc prima cura esse debet, ut quod adest cognoscat et linguarum slavicarum monumenta perscrutans cujusque vocabuli formam et sensum imprimis ex illis ipsis eliciat. Negari enim nequit, cognitionem slavicarum linguarum ipsarum usque ad hunc diem nimium quantum mancam esse, cum nec praestantissimo investigatori earum, Miklosichio, adhuc successerit grammaticae suae comparativæ tomum secundum et quartum, formationem vocum et syntaxim complexuros, edi curare. Quae cum ita sint, nescio, cur illi vitio vertere liceat, quod in hoc libro longe rarius rationem habet reliquarum linguarum indoeuropæarum [17]) quam in aliis et nominatim in lexico palæoslovenico-græco-latino emendato aucto, ubi (pag. I) hac ratione haec leguntur: „singulis, inquit, vocabulis, quæ omnia ad veram linguæ palæoslovenicæ formam reducere conati sumus, addidimus non solum ea linguarum cognatarum vocabula, quæ cum slavicis re vera cognata sunt, sed non raro etiam ea, quæ sono et vi ad slavica tam prope accedunt, ut ex eodem fonte fluxisse videri possint.“ Schleicher autem tantum abest, ut plura his postulet, ut arguat, aut plane nulla aut ea solum, quae cum slavicis cognata esse certum sit afferenda fuisse. [18]) Verum tamen Schleicherum hac in re modum potius excessisse quam Miklosichium, satis jam significavi, cum goth. vocabulum naus cum slav. навь ab eadem radice et eodem modo ducta esse demonstrare enisus sum. [19])

Neque reticendum mihi videtur, etiam C. G. Smithium, quem olim in explananda patriæ linguæ meæ syntaxi imitandum duxi, [20]) propemodum eadem ratione, quam ego procedente hac disputatione secuturus sum, nuperrime [21]) „experiri voluisse, quantum ad interiorem naturam ac rationem profundiorem linguarum Balticarum et Slavonicarum cognoscendam ea

[17]) Vide sis tomi I pag. XIII.

[18]) Beiträge zur vergleich. sprachf. III, 379.

[19]) Krok. V Praze 1864. I, 166—172 et 211—215.

[20]) Grammatica linguae slovenicae, collatae cum proxime cognata bohemica. Schemnicii 1850. pag. XX. Cave tamen putes, benevole lector, a me unquam probata esse ea imprimis, quae praeclarus vir ille de accusativo et instrumentali tamquam casibus rectis in praestantissimo ceterum libro suo insripto „Grammatik der polnischen Sprache“ editoque iterum Berolini 1864, praecepit et opere in sequenti annotatione l. demonstrare nititur. Cum de casibus Deo volente proxime quaestionem instituere mihi propositum sit, liceat interim lectores rerum harum cupidiores solum ad grammaticae meae in extrema annotat. 7 commemoratae §. 302, 303 et 339, conferendas cum prima parte disputationis meae de ablativo in lingua slavica et litvanica (Časopis mus. král. čes. 1857 et 1858) seu cum pag. 236—241 relegare.

[21]) De locis quibusdam grammaticae linguarum Balticarum et Slavonicarum. Havniae 1857. part. I, pag. III, IV et 16. Balticam appellat Smith cum Nesselmanno eam linguarum familiam, quae litvanicam, letticam et borussicam linguam complectitur, non quod eam appellationem omnium aptissimam existimet, sed quod illi ceteris commodior videtur. Ibidem pag. III.

eruditione, quam nostrum seculum debet scientiae grammaticae comparatae, ex ipsis illis linguis, omissa in tempus ceterarum linguarum comparatione, hauriri posset. Nam, inquit ille ipse, quum penitus sentiam, quod inter omnes constat, quam mirifice de tota arte grammatica meriti sint Raskius, Boppius ceterique viri clarissimi, qui novas vias aperuerunt, quum ad linguas gentium inde a stirpe perspiciendas, tum ad singulas linguas recte tradendas, ab altera tamen parte semper mihi visum est verendum, ne omnia magis, quam aequum esset, ad linguas Asiaticas referrentur, ut quaeque lingua Europaea potius cadaver ad dissecandum aptissimum videretur, in quo Indicae illius pulchritudinis apparerent rudera, quam corpus animatum, cujus ingenium et animi vires digna essent, quae investigarentur. Quanquam facile concedo, minus durum nostri seculi ingenium non utique ad extremas res esse proclive sicut superiorum; sed etiam leniores aberrationes a vero vitandae sunt. Etenim res gravissimae ad unamquamque linguam aut linguarum familiam illustrandam ex ipsa petendae esse videntur.“ Cum praeterea Smithio, ut ipse fatetur, non suppetiverit doctrina ad exempla ex reliquis quibusque linguis indoeuropaeis colligenda et comparanda, ut quod velit consequatur, fines linguarum balticarum et slavicarum non nisi re ipsa coactus itaque rarissime excessit.

Quae vero contra haec Schleicher afferenda esse existimavit,[22]) nequaquam ita comparata sunt, ut me movere possint ad asciscendam aliam et nominatim eam hujus rei tractandae rationem, quam ipse in comparandis linguis sequitur et aliis persuadere conatur, cum, probata admonitione Smithii, haec asseverare non cunctetur: „Man ist ja, inquit, überhaupt davon abgekommen das sanskrit als in allen stücken massgebend zu betrachten und organische neubildung der europäischen sprachen zu verkennen; man vergleicht ja nicht die einzelnen sprachen mit dem sanskrit oder zend, sondern man sucht mit hilfe aller indogermanischen sprachen das ursprüngliche zu ermitteln und dessen veränderung und weiterbildung in den einzelnen gebieten des indogermanischen zu verfolgen.“ Nescio enim, cur hac in causa dissentiam ab Ovidio canente: „medio, inquit, tutissimus ibis“ aut a Cicerone, quo teste „in plerisque rebus mediocritas optima est.“ Abhorreo igitur vehementer ab ea præsertim linguarum tractandarum ratione, quam a Smithio jure meritoque perstrictam et a plerisque iisque celeberrimis hujus temporis grammaticis reprobatam et contemtam esse constat. Quod vero ad alteram attinet, ingenue fatear necesse est, Schleicherum præcipue in fingendis iis vocum formis, quas illi „grundformen“ appellare placet, non solum nimium esse, verum etiam raro rei naturæ convenienter versari. Ut enim formæ vocum superstites aut vigentes ad pristinas rite utiliterque reduci possint, ratio, qua id fieri debeat, exacte nota sit oportet; atqui tantum abest, ut ea penitus pateat, ut Schleicher quoque ipse anno superiore, ut æquum erat, confessus sit, in pandendis legibus, quibus soni linguarum stirpis indoeuropææ regantur, multum operæ laborisque consumendum esse:[23]) necesse igitur est pleræque formæ, quas ille pristi-

---

[22]) Beiträge zur vergl. sprachf. I, 385—389, 496—499 et II, 330.

[23]) In præfatione opusculi inscripti: Die wurzel ak im Indogermanischen. pag. VI, ubi progressus in studiis linguarum comparandarum facti paucis quidem, sed rei naturae convenienter ita recensentur: „Klar sind wir, inquit, im Indogermanischen am meisten in betreff der wortbildung (declinations- und conjugationsformen); in der lautlere sind zwar zalreiche gesetze bis jezt ermittelt, doch bleibt hier noch ser vil zu tun übrig. Noch weniger aufs reine gebracht

narum instar venditat, ad opinionum commenta, quæ teste Cicerone delet dies, referantur aut, ut aperte dicam, monstra sint eaque eo magis horrenda et fugienda, quo minus negare licet, jam Senecam sapientissime dixisse: „non ad unam, inquit, natura formam opus suum præstat, sed ipsa varietate se jactat" aut: „ignorat naturæ potentiam, qui illi non putat aliquando licere, nisi quod sæpius fecit." [24])

---

ist die lere von der stambildung, schon aus dem grunde, weil hier die eigentliche etymologische frage, die frage nach der wurzel, mit eingreift. Die schwirige lere von den wurzeln des Indogermanischen ist aber zur zeit kaum in iren umrissen fest gestelt, vor allem tut not eine sorgfältige erforschung der wurzelformen des Indogermanischen." Cur syntaxis, quae usque ad hunc diem miserrime neglecta jacet, nec mentio facta sit ibidem, de casibus disputaturus enarrabo.

[24]) Natur. quaest. 7, 27. Ed. Bipont. 1800. IV, 368. Haec naturae esse judicia, quae dies non delet sed confirmat, quis est, qui non agnoscat? Nihilominus tamen operae pretium arbitror fore, si illa uno alterove exemplo illustravero. Schleicher annis abhinc tredecim docuit, suffixum in pbulg. voce vlъk-a, litv. vilk-o et vilk-a similibusque genitivis sing. ex ficto *aja* et hoc ex sanscr. *a-sja* exstitisse (Die formenlehre der kirchenslaw. sprache. pag. 234 et 235). Miklosich contra optimo jure animadvertit, ex *a-sja* secundum to-go pro sanscr. ta-sja non *a* sed *o-go* fieri debere (Vergleich. gramm. III, 4). Similiter licet pro sanscr. vrka-sja postulare vlъko-so aut vlъko-sa, cum præter to-go et če-go etiam če-so aut čь-so, če-sa et cet. usque ad hunc diem sit aut olim fuerit in usu. Meo tamen judicio *sja* jam gentis nostræ auctores in declinandis nominibus penitus neglexerunt atque ablativi suffixo, quod *at* esse et apud Indos cum *a* stirpi proprio in *ât* coalescere perhibetur, compensarunt ita, ut vlъk-a e vlъk-at pro sanscr. vrk-ât ortum sit. Argumenta, quibus sententiam hanc adversus Schleicherum et celeberrimos linguarum comparandarum doctores in disputatione supra l. de ablativo in lingua slav. et litv. probare conatus sum, eo potissimum nituntur, quod ille ipse in Compendio quoque suo concedit his imprimis verbis: „im altindischen, inquit, haben den ablativ nur die mänl. und neutralen *a*-stämme neben dem genitiv, der in bei allen anderen stämmen ersezt" (pag. 446). Nihilominus tamen mavult ibidem (pag. 449 et 454) repetita crambe delectari quam iis, quæ a me de genitivo ceterisque ablativi reliquiis slav. et litv. ac imprimis de mo-j, tvo-j et svo-j tradita sunt, uti. Quod quidem mihi minime mirandum videtur, cum, ut alia odiosiora prætercam, id quoque constet, Schleicherum in rebus syntacticis tam egregie versatum esse, ut non cunctetur eam harum tractandarum rationem, quæ in Ostermeyeri grammatica litvanica (Königsberg 1791) obtinetur, non solum sequi, verum etiam miris laudibus prædicare (Handb. d. lit. sprache. Prag. 1856. pag. IX et X). Sed de his alio loco pluribus. — Loco, quem in annot. 4 primum indicavi, de radicibus vocum haec quoque leguntur: „Smí-li se i jedna jediná samohláska za kořen považovati, rozhodnouti není na snadě. Posud se jen *i* v lat. *i-re* pouze samohláskovým kořenem býti zdá, u nás mu odpovídá *id* ve slov. id-em a ís-ť m. id-ť, čes. jd-u m. id-u a jí-ti, cyr. i-ti m. id-ti asi tak, jako ja-to (jídlo) m. jad-to od jad-jasti, čes. jed-jísti." Quibus Schleicher ita occurrendum duxit: „Dass der hr. verf. noch immer behauptet, es gebe auch nicht eine einzige rein vocalische wurzel, ist unglaublich aber wahr. Um diese behauptung nicht fallen zu lassen, nimmt er z. b. id als wurzelform anstatt i (ire) an und erklärt den

Ut ea quæ de ratione, qua in explicandis, si ita dicere fas est, acervis aut cumulis consonantium slav. versaturus sim, hucusque prolixius perscripsi, in pauca conferam iisque rebus, quas non ignorari aut lectoris aut mea plurimum interest, suppleam, hæc quoque subjungenda mihi videntur: 1) emolumentis studii linguarum comparandarum, ubi res expoposcerit seu propemodum ita provide et moderate utar, ut id usque ad hunc locum fecisse mihi videor. 2) Ubi-

---

infinitiv i-ti als für id-ti stehend; eine unbegreiflichkeit, denn aus id-ti müsste is-ti werden wie jas ti aus jad-ti (essen." Beiträge zur vergl. sprachf. I, 253). Concedo, de nobis ita discrepantibus optimo jure dici posse: Iliacos intra muros peccatur et extra. Nam, quod ad me attinet, fatear necesse est: primum literam *d* in vocibus id-em, jd-u et ceteris similibus non radici sed stirpi propriam esse idque eodem modo, mihi tamen nondum perspicuo, quo in bud-em, bud-u, pbulg. bąd-ą, in serb. imad-em, znad-em et quae sunt reliqua; deinde pbulg. infinitivum итн potius sonuisse ji-ti quam i-ti, praesertim cum nuper probare enisus sim, literas и et ѱ non vocali *i* sed syllabae *ji* designandae primo destinatas esse .(Časopis mus. král. čes. 1864. pag. 234—240). Ab altera vero parte constat, Schleicherum et frequentius et gravius me errasse. Ille enim non solum particeps fuit erroris, quem postremo perstrinxi, verum etiam in compluribus aliis versatus est, quorum gravissimi hi esse videntur: 1) opinatus est scire se de radicibus, quae mihi dubia semper visa sunt quaeve nunc ille quoque ipse in dubitationem vocat idque apertissime in Compendio saepe l. (pag. 287) his verbis: „es finden sich, inquit, folgende lautgestaltungen der indogermanischen wurzeln: 1. vocal, d. h. genau genommen, spiritus lenis + vocal, z. b. *a* (pron. demonstr.), *i* (ire), *u* (altind. laetari, benefacere, slaw-lit. und lat. ind-uere, ex-uere)." Confer praecedentem annotationem. 2) Sumsit, me eum esse, qui ignoret, *d* ante *t* a Slavis in *s* mutari, quamvis argumenta contrarium probantia, ut ita dicam, manu prendi poterant. 3) Celavit lectorem aut, quod mihi verisimilius videtur, dubitavit de pbulg. vocabulo jato idque imprimis ideo, quod opinatus sit, illud nunquam viguisse, cum legi mutandarum dentalium in *s* adversaretur. Verum tamen si mihi fidem denegandam qualicunque demum consilio censuit, cur quæso non credidit Miklosichii lexico linguæ slovenicæ veteris dialecti, edito a. 1850, ubi (pag. 201) jato solum legitur? Contra in altera operis illius editione etiam jasto comparet. Sub jato relegatur lector ibidem (pag. 1148) ad codicis Supraslíensis, vulgati eodem auctore 1851, pag. 402 et lin. 22, ubi reapse legere licet: ně (pro *ne*) vъkusila ni jata ni pitija. Ceterum nec in prima lexici illius editione deest fontis ejusdem nota seu „*cod. sup.*" Quæ cum ita sint et præterea constet, a Schleichero ne in Compendio quidem (pag. 252) elisionem dentalium, de qua agitur, concedi, liceat mihi duntaxat cum Livio interrogare: „quid, si vox libera non sit, liberum est?" aut meminisse aureorum J. Grimmii verborum, quæ sunt: „wer, inquit, nichts auf wahrnehmungen hält, die mit ihrer factischen gewisheit anfangs aller theorie spotten, wird dem unergründlichen sprachgeiste nie näher treten" (Deuts. gramm. I. th. 2. ausg. 1822. pag. VI). Ad hoc consequendum peritia linguarum sola, etiamsi sexcenties amplior sit illâ, quam Schleicher nulla fere occasione praetermissa exposcit (Beiträge zur vergl. sprachf. I, 385. Die wurzel ak im Indogerm. pag. IV. etc.) non suppetit, sed grammaticus etiam prudentia communi aliis insigniter excellat aut, si cum G. Hermanno mavis, „philosophiæ quoque idoneam cognitionem, cauto junctam subtilique judicio, habeat necesse est" (De emendanda ratione græcæ grammaticæ partis I. pag. 2). Compertum enim est, jam

cunque adhibuero formas vocum fictas, animadvertat lector, me longe abesse, ut putem aut ei persuadere velim, illas unquam prorsus ita, ut a me effictæ sunt, in usu fuisse. Contra extremum, quod hac ratione postulandum mihi videtur, in eo consistit, ut concedatur, formas vocum superstites aut vigentes duntaxat eatenus rite reductas esse ad pristinas, quatenus de illis agitur. Restitutis v. c. pbulg. vocabulis: netij et sedmь in neptij et sebdmь aut septmь, nihil amplius præstolor, quam ut concedatur, vocibus illis labialem *p* aut *b* olim reapse propriam fuisse [25]) eamque simpliciter seu missis ambagibus, quibus Schleicher hac in causa, ut mox patebit, nimiopere delectatur, elisam esse. Quomodo autem eodem tempore simul cum *pt* aut *bd* reliqua vocum earum elementa sonuerint, suave esset illud quidem et mirabile auditu, sed ita lubricum est explicatu, ut adhuc malim ignorantiam fateri quam scientiam Schleicheri de his et similibus rebus ostentare. 3) Ut fere fit, huic quoque disputationi tam arti fines constituti sunt, ut eam viam, quam ad explicandos cumulos consonantium slavicarum præeunte præsertim sagacissimo O. Bœthlingkio annis abhinc undecim aperui, ceteris et nominatim a Schleichero trita rectiorem et securiorem esse nunc quoque solum luculentius probare quam perficere mihi liceat. Quamobrem juvabit imprimis progressus factos hac in re inde a J. Dobrovskyo usque ad hos dies paucis servatoque temporis ordine recensere:

Lætus gratusque consentio cum Schleichero professo, a Dobrovskyo artis linguarum slavicarum comparandarum fundamenta ita jacta esse, ut omnino dignus sit, quem admiremur immortalique retineamus memoria. [26]) Exigua illa esse et manca, ex ipsa rei natura sequitur. Etenim teste Quinctiliano „est sua etiam studiis infantia“ (Inst. or. 1, 1) aut, ut verbis Ciceronis utar, „nihil est simul et inventum et perfectum“ (Brut. 18, 71). Haec in universum dixisse sufficiat! Quod vero ad consonantes attinet, mirum quidem at omnino certum est, ab eximio viro illo et singulari jam 43 abhinc annis ea, ad quæ tamquam causam plerasque

---

Demetrium cynicum rite dixisse: „plus prodest, si pauca præcepta sapientiæ teneas, sed illa in promtu tibi et in usu sint, quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum“ (Seneca de benef. 7, 1. Ed. Bipont. II, 308). Nec est, cur cuncter huc quoque referre verba, quibus Schleicher nuper Miklosichium monuit, dicens: „besser wenig, aber mit kritik und methode, als viel, aber bedenkliches und zweifelhaftes“ (Beiträge III, 379). Constat denique, ut alia prætercam, verum pronuntiari hoc versu: „pluribus intentus minor est ad singula sensus.“

[25]) Postulatum hoc nequaquam esse leve, nemo negabit, quem non fugit, quantopere dissentiant inter se viri de arte linguarum comparandarum optime meriti, Bopp (Vergl. Gramm. Ed. alt. 189, 190 et 432) et Pott (Etym. Forsch. Ed. alt. II, 1, 821—824) praecipue de goth. nithjis, quod nostro netij simillimum est, et de ceteris vocabulis indoeuropæis, quæ huc pertinere videntur, collatis inter se. Quid Schleichero videatur de *th* et *b* in nithjis et sibun in comparatione præsertim cum sanscr. stirpibus naptar et saptan, scire meâ parum interest. Miror solum vehementer, quid illum adduxerit, ut hanc rem in explananda lege, secundum quam Gothi omnes ad unam mutas consonantes contiguas dentalibus in *ft*, *ht* et *st* mutare consuerint, alto præteriret silentio (Compendium pag. 277), præsertim cum non cunctetur nostrum netij cum gr. *ἀνεψιός* et sanscr. naptar, suum autem sibun cum saptan, septem et *ἑπτά* conferre (ibidem pag. 244 et 271).

[26]) Zeitschrift für die österr. Gymn. 1850. pag. 750 et 751.

mutationes contiguarum consonantium slavicarum Schleicher nuperrime quoque revocandas duxit, disertissime trádita esse his verbis: „Duplicationem literarum non admittit slavica lingua. Vocales аа in үнтаах, єє in нищєє non unam sed duas constituunt syllabas; legendæ enim sunt uti аꙗ, єѥ: үнтаꙗх, нищєѥ. Consonæ autem non solent duplicari, nisi compositio aut derivatio id exigat. Преддверїє ex gr. ex пред et двєрн compositum est.“ [27]) Hæc et sequentia exempla cum ceteris plerisque ei linguæ pbulg. indoli, quam vetustissima monumenta illius præseferunt, non usquequaque conformia esse, constat quidem nunc inter omnes, at nihil refert. Omnia enim, ut mox illucescet, eo redeunt, quod Dobrovský, Slavos a geminatione tam vocalium quam consonantium abhorrere, compertum habuerit. Ceterum de mutatione consonantium pauca illi nota fuisse, ex iis satis superque apparet, quæ de transformatione gutturalium in sibilantes [28]) identidem, ultimo autem hac ratione docuit: „Initialis, inquit, consona vix unquam transformari solet. Præbent tamen præsens женѫ a гнати, porro шєдъ, поүїю, si conferantur cum ходнти et поконтн exempla mutationum in prima radicali factarum.“ [29])

Contra P. J. Šafařík omnes sibilantes, solo *s* demto, tam in slavicis quam in ceteris linguis indoeuropæis transformatione congruentium consonantium gutturalium ortas esse, ingenti exemplorum copia fretus probare enisus est, [30]) at demonstrando par non erat, nec ullus unquam erit. Compertum enim est, nec ille ignoravit, sed solum memoriâ lapsus non respexit, sibilantes quam plurimas etiam ex dentalibus non solum in slavicis linguis et cognatis, sed

---

[27]) Institutiones linguæ slavicæ dialecti veteris. Vindobonæ 1822. pag. 49.

[28]) Hoc artis vocabulum ita apud nos Slavos viget et progressus, si ita dicere fas est, in linguarum physiologia usque ad hunc diem facti tam dubii mihi videntur, ut illo porro quoque uti quam his confidere antiquius habeam. Præterea compertum est, Slavos sua lingua loquentes reapse tantopere sibilare, ut nihil sit, cur obloquamur Schleichero, qui jam a. 1850 hæc perhibuit: „Durch den Einfluss zumal der I- und J-laute auf die vorhergehenden Consonanten sanken viele ursprüngliche Stummlaute zu Sibilanten und Assibilaten herab, und so entstand jene Fülle von Zischlauten, die dem Klange der gesammten Sprache eine eigenthümliche Färbung giebt“ (Die Sprachen Europa's in systematischer Übersicht. Bonn. pag. 197). Liceat igitur duntaxat hactenus obtemperare effato, cujus auctor e memoria mea excessit, quodve est: „id quemque maxime decet, quod est cujusque maxime suum.“

[29]) Instit. l. pag. 42. Confer: Entwurf zu einem allgemeinen Etymologicon der slawischen Sprachen. Prag 1813. pag. 63 et Slovanka, ed. ibidem 1814. pag. 46.

[30]) In disputatione de transformatione gutturalium consonantium, vulgata in Časopis čes. mus. 1847. I, 37—72. Ut luculentius pateat, præstantissimum illum virum reapse ita errasse, ut supra probatur, liceat mihi subjungere summa ejus verborum ipsa. Quod spectaverat, hocmodo protulit: „všecky sykavky, řidší i hustší, jediné *s* vyjma, v jazyku slovanském, jakož vůbec ve všech indoeuropských, jsou již poddružní tvarové a pouzí přetvorové souřadních hrdelnic“ (ib. pag. 40). Causam autem rei pertractatæ paucis ita indicavit: „neuchýlíme se od pravdy, přijmeme-li za pravidlo, že všudy, kdekoli v jazyku našem z hrdelnic sykavky povstávají, děje se to buď *zjevným* anebo *tajným* vplyvem polohlásky *j*: zjevným, kde sledy její buď v písmě buď ve vyslovení nacházíme; tajným, kde ji k vysvětlení úkazu co podmínku neuchylně přimysliti musíme“ (pag. 67 et 68).

etiam in alienis quibusdam exstitisse, velut in pboh. meza et svieca, rus. межа et свѣча pro medja et světja, in vésti pro vedti et cet. Nec ratio, qua Šafařík sibilantes ex gutturalibus ortas esse docet, prorsus probari potest. Priusquam tamen ad id aggrediar, illa paucis referatur oportet.

Quemadmodum jam numerus, quoties in lingua sanscr. spiritus *h* inter consonantes et vocales se insinuet aspiratarumque *kh*, *gh* et cet. auctor sit, iniri non potest: ita in slavica *j*, tamquam subtilissimus aut tenuissimus spiritus quibusque consonantibus et vocalibus obrepit idque longe frequentius et efficacius quam *h* et *v*. Anceps sonus ille et versutus vestigiis quam lentissimis vim suam præcipue ita exercet, ut consonantes et vocales proximas, nonnunquam etiam remotiores indolis suæ participes faciat extenuetque plus minusve et emolliat. Quo fit, ut ex. gr. apud Bohemos *a* et *o* in *e*, *u* in *i* sæpissime mutentur, velut in jedu, volej, moře, jitro et cet. pro jadu, volaj, morjo, jutro; ex *r*, *d*, *t*, *n* et cet. molles *ř*, *ď*, *ť*, *ň* exsistant. Quod autem ad gutturales attinet, eæ teste Šafaříkio a Slavis primo propemodum ita emolliebantur, uti passim ab hodiernis Græcis *k* et *g*; post sensim et pedetentim mutabantur in *č*, *š*, *ž*; denique in *c*, *s*, *z*. Quibus omnibus una comprehensione complexis ita illi demum præcipiendum visum est: „ubicunque, inquit, in lingua nostra ex gutturalibus sibilantes exsistant, fit hoc aut aperta aut occulta semivocalis *j* vi: illâ ubi vestigia ejus aut scripta cernuntur aut enuntiata audiuntur, hac ubi effectus explicandi causâ concedenda est.“

Libentissimo confiteor animo hæc potissimum subtilissime dicta esse. Arrident mihi quam maxime præsertim ea, quæ ab eminentissimo illo populari meo, nisi fallor, primo de mirifica consonantis *j* et vocalis *i* vi, simillima meo judicio ei, quam ab oxygenio exerceri arti chemicæ dediti perhibent, tradita sunt. Sed hæc sola ad explicandam rationem, qua apud nos sibilantes vel ex gutturalibus ipsis oriantur, nequaquam suppetunt. Constat enim, ut jam anno superiore [31]) pluribus docui, in linguis slavicis præter gutturales etiam dentales in sibilantes sæpe atque sine ulla prorsus palatalium elementorum *j* et *i* efficacia mutari. Ut hoc quoque loco uno alterove exemplo utar, supina пешь, мошть et врѣшть cum pboh. pec, moc et vrc exstiterunt sine ulla dubitatione ex pek-тъ, mog-тъ et vrъg-тъ; nam in suffixo тъ ne minimum quidem palatalium elementorum vestigium cernitur aut concedi jure potest, cum illud non solum in sanscr. lingua, sed etiam in plerisque cognatis *tu* sonet. Quomodo porro et cur supina illa a вестъ et плестъ, pboh. vest et plest pro ved-тъ et plet-тъ, ac a ceteris similibus differant, partim primo aspectu patet, partim tam probe notum est imprimis pbulg. linguæ peritis, ut tacere quam quidquam hac de re dicere antiquius habeam. Quod quidem eo magis expedit, quo facilius concedi potest, secus quoque optimo jure quæri, quid causæ fuerit imprimis, quod Slavi a collisione gutturalium consonantium cum *j* seu a cumulis *kj*, *gj*, *chj* tantopere abhorruerint.

Ad quæstionem hanc persolvendam meo judicio quam plurimum contulit O. Bœhtlingk insigni disputatione sua inscripta: Beiträge zur russischen Grammatik, [32]) ubi, postquam mentionem fecisset, nullum vocabulum pbulg. consonante terminari, ita prosequitur:

---

[31]) Výsledky historického jazykozpytu a mluvnice ruská in Časopis mus. král. čes. pag. 205 et sequ.

[32]) Bulletin de la classe historico-philologique de l'Académie imp. des sciences de St.-Pétersbourg. 1852. Tom. IX, pag. 37—64 et 81—112. Quæ supra afferuntur, pag. 94—97 continentur.

„Cum, inquit, Slavi (i. e. Bulgari) prisci consonantes in fine vocum aversati sint, verisimile est, eos etiam a syllabis in consonantes exeuntibus abhorruisse. Cum insuper observemus, in mediis vocabulis solum eas consonantes, quæ in syllabarum initiis sine ulla molestia exprimi possint, inter se concurrere, confirmari videtur, quod jam alii conjecerunt, in lingua pbulg. quamque syllabam in vocalem cecidisse ac proinde omnes consonantes in mediis vocibus collisas in syllabarum initiis exprimendas esse. Cur nulla consonans geminetur, explicatur etiam eo, quod nulla syllaba consonante finita sit.“ His rebus adductus est Böhtlingk, ut consonantes in pbulg. vocum initiis inter se concurrentes ex Miklosichii lexico linguæ slovenicæ veteris dialecti colligeret et digereret. Quo facto „comperit, acervos habentes secundo loco р, л, в, н et м frequentissimos esse.

Acervi cum р: кр, тр, др, пр, бр; нр (semel), мр; хр, гр, ср, ꙁр, шр (semel), жр, фр (in peregrinis verbis), вр; цр, чр.

Acervi cum л: кл, тл, дл, пл, бл; мл; хл, гл, сл, ꙁл, шл, жл, вл, чл.

Acervi cum в: кв, тв, дв; хв, гв, св, ꙁв, жв (semel); цв, чв.

Acervi cum н: кн, мн; гн, сн, ꙁн.

Acervi cum м: км; см, ꙁм, шм (semel).

Sequentibus mutis antecedunt semper с, ꙁ, ш aut ж: ск, ст, сп; ꙁд, ꙁб (semel); шт; жб (semel). Сц legitur solum in сцѣлъ = цѣлъ, чб in чбанъ = чванъ.

Si tres consonantes inter se concurrant, prima earum, demto solo cumulo твр, semper est spirans с, ꙁ, ж et х, ultima autem р, л et в: скр, стр, смр, ꙁдр, ждр, хвр; скл, стл, ꙁмл (ꙁмлнꙗ = ꙁмнꙗ); скв. Quatuor consonantibus constat solum сквр.

In mediis vocibus ств, quod in initiis earum apud Miklosichium non legitur, frequentissimum est. Si omnes consonantes, quarum binæ aut plures in mediis vocibus inter se concurrant, colligerentur, multa edoceremur. Mutæ ante mutas nunquam occurrunt, neque м aut н ante mutas aut spirantes. Ex quo explicantur formæ infinitivæ пешти, cujus stirps пек est; тепсти, длъпсти, ꙁѧпсти et скоупсти, ortæ inserto с; погрети et урѣти privatæ labialibus; клѧти et дѧти, ubi н et м evanuerunt. Formæ длъпсти, ꙁѧпсти et скоупсти ductæ a stirpibus длъб, ꙁѧб et скоуб, unâ probant, Slavos antiquissimis temporibus diligenter secundum enuntiationem, non autem ex etymologia scripsisse.“

Primis inquisitionis hujus verbis Böhtlingkium aliquanto asseverantius ratiocinatum esse quam habita extremorum ratione liceret, liquet. Similiter certum est, illum in aliis quoque erroribus versari, ex. gr. præterivit silentio хм, a quo in lexici, quo usus est, editione prima хмѣльнъ incipit. Substantivum quoque nomen хмѣль in monumentis linguæ pbulg. legi, altera lexici illius editione edocemur. Verum tamen nunc imprimis odiosum est nec quidquam prodesse mihi videtur errores Böhtlingkii reliquos de industria proferre, cum liceat non solum meliora sequi suoque exemplo, quid rectum videatur, ostendere, sed etiam firmissime asseverare, summa eorum, quæ Böhtlingk de consonantibus pbulg. et aliquot annis ante de sanscriticis [33]) tradidit, prorsus consentanea esse ei consonantium in universum tractandarum rationi, quam

[33]) Vorarbeiten zu einer ausführlichen Sanskrit-Grammatik. Ibidem a. 1844. T. I, p. 235—238. Bemerkungen zur zweiten Ausgabe von Fr. Bopp's kritischer Grammatik der Sanskrita-Sprache. Ibidem a. 1847. III, 116—119.

ex. gr. Diezium, Grimmium et Pottium [34]) ante illum secutos fuisse constat. Juvabit eam continuo eatenus duntaxat paucis adumbrare, quatenus nota sit oportet, ut disputatio hæc ad Miklosichium rite traduci et converti possit.

Docente Fr. Diezio [35]) „consonantes æque ac vocales vel cum semet ipsis vel cum aliis coalescunt. Ex ejusdem consonantis duplicatione fiunt geminæ, ex diversarum autem consonantium conjunctione compositæ dispares oriuntur. Cum tam hæ quam illæ peculiari modo seu ita tractentur, ut unâ ingenium cujuslibet linguæ certis describatur signis, separatim a simplicibus observentur est necesse.“ Quantopere sibi constiterit et eminuerit Diez in exsequenda hac consonantium romanicarum tractandarum ratione, collegis meis probe notum est. Nec eos præterivit, J. Grimmium eadem ratione de consonantibus germanicis jam a. 1822 docuisse. Num autem ille hanc viam primus invenerit, ii viderint, quorum id nosse plus interest quam meâ. Ad id enim, quod mihi hoc loco proposui, consequendum sufficiet commemorasse, Grimmium de præstantia suæ consonantium tractandarum rationis ne minime quidem dubitasse, cum illam rursus declarandam existimaverit. [36]) Luculentissime factum est id tandem a Pottio [37]) his imprimis verbis: „Consonanz, inquit, und Dissonanz in der Sprache beruht, nicht minder als in der Musik, auf der V e r b i n d u n g von Lauten; man darf nicht

---

[34]) Fr. Boppium data operâ prætereo. Constat enim inter omnes justos et peritos harum rerum judices, illum in elementis vocum indoeuropæarum minus quam in formis explicandis eminuisse (Cf. Zeitschrift für vergl. sprachf. VII, 147—156 et VIII, 221—236). Velim tamen animadvertat lector, doctissimum et humanissimum virum illum nunquam se eum exhibuisse, quem ita severe et acerbe reprehendere liceret, ut sibi Schleicher a. 1852 indulsit (Die formenlehre der kirchenslaw. sprache. pag. 69). Factum id esse „in Folge einer damals durch persönliche Verhältnisse verursachten Gereiztheit,“ credo Schleichero ipsi perhibenti (Lituanica. Aus dem XI. B. der Sitzungsberichte der philosophisch-hist. Classe der k. Akademie der Wissensch. in Wien 1853 besonders abgedr. pag. 42). Nec multum meâ interest scire, num eum illorum ætatis erratorum tam sincere pœniteat, ut pœnæ instar æquo animo concedat, se illis commissis prope accessisse ad eos, de quibus hic valet versiculus: „in bove stans super arva culex clamabat: aramus!“

[35]) Grammatik der romanischen Sprachen. Bonn 1836—1844. I, 175. In altera præclari operis illius editione, ibidem a. 1856—1860 adornata (I, 188 et sequ.) eandem docendi rationem obtineri, primo aspectu apparet.

[36]) Deutsche grammatik. I. th. 2. ausg. pag. 10, 11 et 53, unde hæc duntaxat afferam oportet: „Die doppelten consonanten sind, gleich den vocalen entweder doppelt durch sich selbst (*geminæ*) oder durch verbindung verschiedenartiger (*compositæ*). Es ist von wichtigkeit, sich mit den in jeder mundart beliebten compositionen der consonanten bekannt zu machen. Für die aussprache und historisch wichtig ist es, auf die verbindung und gleichsam verwachsung solcher consonanzen zu achten.“

[37]) Etymol. Forschungen. Ed. alt. II, 4 et 292. Quam mirifice desudaverit eximius ille et singularis vir in explicandis plerarumque linguarum indoeuropæarum consonantibus eo modo, de quo agitur, facile patebit, si cum l. l. ea solum, quæ ibidem pag. 764 sub „Consonanzen“ indicantur, contuleris.

zweifeln, dass gewisse Buchstabenverbindungen gedacht werden können, die, als mit der physiologischen Einrichtung der Sprachwerkzeuge im Widerspruche stehend, in keiner Sprache weder wirklich noch möglich sind, und andere, die, in welcher Sprache sie immer zur Erscheinung kommen mögen, stets einen üblen, wenn gleich nicht selten um des Charakteristischen willen gesuchten Eindruck auf das Ohr machen müssen und folglich im Allgemeinen einen wahren, objectiven Misslaut geben. Dagegen giebt es andere, die nur in der Subjectivität eines Volkes begründet, auch nur diesem als solche erscheinen und von ihm vermieden werden.“ Unde infra haec quoque colliguntur: „Da nicht allein der lautliche Charakter einer Sprache im Allgemeinen durch die Arten der in ihr erlaubten Consonanzen wesentlich mit bedingt wird, und ausserdem im Besonderen dieselben nicht ohne Einfluss auf die Wortbildung sind, so wird man es nicht als ein überflüssiges Geschäft der Grammatik ansehen, wenn sie mit grösstmöglicher Vollständigkeit nicht minder die Consonanzen als Diphthongen aufzählt.“

Quae cum ita sint, habita præsertim eorum ratione, quae jam supra (pag. 7) dicta sunt et mox sequentur, dolendum duntaxat mihi videtur, quod Miklosichio in explicandis consonantibus slavicis imprimis Grimmii vestigia persequi non placuerit. Si enim id fecisset, successisset illi verisimiliter consonantes praesertim pbulg. tam prospere explanare, ut saltem mihi vix quidquam amplius negotii hujus superesset. Nam difficillimum est dictu, quid in celeberrimo viro illo magis admirandum sit: assiduitasne et diligentia in eruendis et pandendis linguae imprimis pbulg. monumentis, an sollertia in iis enucleandis, an denique singularis ille veritatis amor, quo tantopere ardet, ut virtutem in adversariis quoque suis non solum laudet, verum etiam pro re nata promtissime imitetur. Cum prorsus ita sentiam, ut scripsi, vix ac ne vix quidem convenire mihi videtur sciscitari, cur tantus vir in explanandis consonantibus slavicis ab exemplo sponte et ultro ad imitandum sibi proposito, id est a J. Grimmio tantopere defecerit, ut ne eas quidem consonantes, quæ in pbulg. vocum initiis et mediis inter se concurrant, vel ita describendas censeret, ut vocales ibidem occurrentes ab illo tractatas esse primo aspectu apparet. [38]) Præstat animo et voce hæc et similia precari: Deus optimus, maximus faxit, ut tam rari et eximii nantes in gurgite vasto diutissime incolumes serventur, quo fieri possit, ut diligentiæ suæ et sollertiæ specimina quam plurima, etsi prioribus simillima dent! Quod autem ad Böhtlingkium attinet, plura sunt argumento, Miklosichio opusculum illius supra l. tum demum contigisse adipisci, dum primus grammaticæ linguarum slavicarum comparativæ tomus ab hoc conscriptus prelo suberat. Quo factum est, ut in singulis rebus non nihil mutatum sit, [39]) ab instituta tamen ratione non sit decessum, cum penitus transformare, quæ jam in solidam formam redegeris, non sit facile factu.

Mihi quoque fere idem accidisse, non est, cur lectores celem. Homo enim sum et humani a me nihil alienum puto. Quamobrem id quoque ingenue fatear oportet, me in conscribendo opusculo, quod in annotatione 2 et 3 commemoravi, etiam præclarissimis Diezii, Grimmii et Pottii operibus supra l. usum quidem esse sed justo cautius. Auctoritatem enim,

---

[38]) Vergleich. grammatik. I, 8—12, 18—20 et cet.

[39]) Vide sis ibidem pag. XIV, 180, 201, 207 et cet.

qua præter Šafaříkium jam Miklosich quoque in rebus slavicis eo tempore vigebat, tanti æstimaveram, ut putarem, insignes viros hos potissimum rei ipsius natura eo adductos fuisse, ut præcipue consonantium nostrarum tractandarum ratione ab illis consulto et cogitate discreparent. Simul tamen atque Böhtlingkii præcepta de consonantibus pbulg. perlegi, quod extremo anno 1853 inter typis exscribendum „Zvukosloví" meum contigit, tantopere iis delectatus sum, ut mihi constituerem ea non solum libentissimo animo amplecti, verum etiam omni qua par essem virium contentione locupletare et prædicare. Quam sincere me pœnituerit, quod consilio huic conformiter opusculum illud transformare non potuerim, ex præfatione [40]) ejus collata cum censura ibidem promissa editaque reapse in commentariis ibidem nominatis [41]) satis apparet. Quæ enim verbis ex illa infra exscriptis dicuntur, ea præcipue ad Böhtlingkii præcepta de consonantibus pbulg. referri, facillime concedet, quicunque censuræ hujus pag. 130 usque 142 legerit. Quo facto comperiet ibidem certe ea quoque, quorum hic meminisse juvabit. In extrema censura illa, ut fere fit, quam angustissime continenda solius linguæ pbulg. rationem habere mihi licuit. Collectis itaque et digestis etiam iis consonantium pbulg. acervis, quos Böhtlingk consulto et casu præteriverat, comperi, summa eorum, quæ supra ab illo attuli, vera et certa esse. His Pottiique imprimis præceptis supra attactis tamquam fundamentis innixus tam ratione quam usu probare conatus sum, eam consonantium pbulg. tractandarum rationem, quam ille suffragante hoc sequi coeperat, ceteris longe præferendam, diligentissime exsequendam et ad reliquas linguas slavicas pariter accommodandam esse, præsertim cum hæ ad pbulg. linguam propemodum ita referantur, ut Schleicher quoque ipse aliquot annis ante docuerat. [42])

At jam inde ab anno 1854 usque ad hæc tempora in conscribendis præsertim libris ad usum earum quoque scholarum, in quibus literarum elementa traduntur, tantopere occupatus, insuper exscreatione cruenta et aliis calamitatibus adeo afflictus eram, ut ea, quæ

---

[40]) Ubi pag. V et VI hæc quoque leguntur: „O několik dní bude tomu právě rok, co spis přítomný dokonán. Od té doby, zvlášť od pobytu mého v Praze náhledy moje o něm natolik se změnily, že bych si byl před tiskem srdečně přál některé části jeho znova přepracovati, jmenovitě: nauku o přehlasování samohlásek a příčiny přetvořování souhlásek určitěji, nežli se to v §§. 20 a 24 stalo, vyložiti; příčinu předsouvání hlásek *j*, *v* a *h* náslovným samohláskám a jiné podrobnosti zevrubněji vytknouti, než *fata vetabant*. Co se mezitím zde nemohlo, stane se v posouzení mém „čtení o srovnavací mluvnici slovanské" od nebožtíka Fr. L. Čelakovského sepsaných, kteréž o krátký čas nejspíše ve prvém svazku Časopisu česk. Musea vyjde."

[41]) Časopis čes. musea. 1854. pag. 103—142.

[42]) „Ohne eine genaue Kenntniss des Baues der kirchenslawischen Sprache ist eben auch niemand berechtiget, ein Wort *in Slavicis* mitzureden — vielweniger eine böhmische Grammatik zu schreiben" (Zeitschr. für die österr. Gymn. 1850. pag. 738). Nam lingua illa eodem teste „für die richtige erfassung irer lebenden schwesterdialecte von änlicher wichtigkeit ist, wie etwa das gothische für die germanischen sprachen, das sanskrit für die übrigen zweige des indogermanischen stammes" (Die formenl. der kirchenslaw. spr. pag. III). Vide sis etiam Miklosichii gramm. comparativæ tom. I, pag. VI et VII.

censurâ illa promiseram, tantum nunc observare possem idque solum intra fines, quos jam supra (pag. 8) paucis indicavi. Nihilominus tamen occasionibus, quæcunque ad rei hujus cognitionem promovendam interea offerebantur, avidissime usus sum. Ad bohemicæ et patriæ linguæ meæ consonantes explicandas gravissima censuræ illius præcepta latissime accommodavi in libris grammaticis, quorum titulos in annot. 4 et 7 legere licet. Brevius strictiusque, ut rei natura postulare videbatur, factum est id in libro, cujus titulus infra [43]) exscriptus est.

Ceterum ab hac disciplina mea pauci adhuc sunt. Fr. B. Květ, qui ex auditore amicissimus mihi evaserat optimeque me de se sperare jusserat, [44]) præmatura, proh dolor, morte nobis ereptus est! V. Zikmund, in quo non solum populares ejus, verum etiam ego [45]) haud parvam collocaveramus spem, meam imprimis consonantium tractandarum rationem nec apte nec modeste imitatus est, quod lato nuper judicio de prima grammaticæ ejus parte satis superque probavi. [46]) Primis censuræ illius verbis pariter demonstratur, reliquos Bohemos, qui in patria lingua sua tradenda jam inde a Dobrovskyo usque ad hunc diem desudarunt, eos esse, quos hoc præsertim loco alto silentio liceat præterire.

Quod autem ad ceteros Slavos attinet, facile concesserim, plerosque eorum grammaticis linguæ suæ vernaculis in universum Bohemis antecedere. Sed in consonantibus patriæ linguæ suæ explicandis illi quoque longe minus adhuc profecerunt quam meo judicio potuissent, si ea, quæ mihi hoc in genere elucubrare contigerat, in rem suam sapienter convertissent. Reprehensionem hanc in potentissimos eorum, Russos, præsertim convenire, satis superque probasse mihi videor in censura [47]) præstantissimæ grammaticæ russicæ, cujus auctor Th. Buslajev est. De reliquis Slavis idem statim et nullo negotio demonstrarem, si artos disputationis hujus fines excedere liceret aut potius nisi verendum mihi esset, ne nimius forem, præsertim cum optimi grammatici eorum se partim a Miklosichio, cujus doctrinam de consonantibus jam supra æstimavi, partim a me esse, plus minusve aperte profiteantur aut facto

---

[43]) Třetí mluvnice česká pro čtvrtou třídu hlavních škol. Ve Vídni 1863. V Praze 1864.

[44]) Hoc præsertim opusculo: Staročeská mluvnice. V Praze 1860.

[45]) Srovnávací mluvnice jazyka čes. a slovens. pag. XVI et XVII.

[46]) Krok. 1865 seu II, 117—123 et 172—181. Ibidem I, 45—52 et 116—122 reprobatur etiam ejus Skladba jazyka českého. V Litomyšli a v Praze 1863. Quæ ego tam de hac quam de illa syntaxi, quæ supra attactâ „Grammatika jazyka českého. V Praze 1865.“ continetur, sentiam, alio loco proxime exponam. Confer annot. 50.

[47]) Časopis mus. král. čes. 1862. pag. 134—139. Primis disputationis meæ nominatæ jam in annot. 31 verbis seu pag. 187 ibidem declaravi, optimo Buslajevo non suppetivisse tempus ad alteram grammaticæ suæ editionem inscriptam Историческая грамматика русскаго языка. Москва 1863. censuræ meæ conformiter adornandam. Quo naturaliter evenit, ut hæc doctrinâ præsertim de consonantibus admodum parum differret a prima seu ab Опытъ исторической грамматики русс. языка. Москва 1858. Proximam tamen editionem, quam cupidissime exspecto, quæcunque juste postulare liceat, habituram esse, confido.

prodant. Illud valet imprimis de Polono A. Małeckio [48]) et Rutheno M. Osadca, [49]) hoc de Croata V. Jagićio. [50])

De grammatica imprimis polonica insigniter merito Smithio, natione Dano, non contigit adhuc in explanandis consonantibus nostris tam præclare versari, ut eum facturum fuisse, facillime gratissimeque mihi persuadeo, nisi „fortuna exclusus diu subsidiis magnopere destitutus“ fuisset. [51]) Præter eum et Schleicherum nullus peregrinorum linguas nostras tam assidue et sollerter nuper tractavit, ut dignus esset, cujus hoc præsertim loco mentio fieret.

---

[48]) Gramatyka języka polskiego większa. Lwów 1863. pag. V, ubi hæc quoque leguntur: „Chodziło przedewszystkiém o spożytkowanie na naszę korzyść wypadków, które przez poszukiwania postronne w dziedzinie powszechnéj lingwistyki słowiańskiéj w ciągu ostatnich lat kilkunastu, dla wszystkich szczepu tego narzeczy pośrednio pozyskane zostały. Znamenitą z téj strony pomocą do ułożenia tego dzieła (w zakresie zwłaszcza Nauki o Formach, i po większéj części także w Etymologii) były uczone i szacowne prace najznakomitszego po dziś dzień badacza filologii słowiańskej, profesora Franciszka Miklosicha. W odwet niejako za tę pomoc pobratymczą, było rzetelném staraniem autora rzucić i własném usiłowaniem nieco światła na punkta niektóre dotąd zakryte i ze stanowiska gramatyki polskiéj przyczynić się može v czémkolwiek do postępu poszukiwań dotyczących całego szczepu. Stósuje się, co tu mówię, do Głosowni, do niektórych rozdziałów Etymologii, a przedewszystkiém do Składni polskiéj, która dotąd w sposób umiejętny prawie wcale jeszcze roztrząsana przez nikogo nie była.“ Libentissimo testor animo, a Małeckio (pag. 40—50) consonantes, quarum binæ aut plures apud Polonos collidantur, diligentius tractari quam ruthenicas ab Osadca in grammatica infra nominata. Ab altera tamen parte minime reticendum mihi videtur, illum huic fideliori Miklosichii sectatori hac re nequaquam ita præstare, ut operæ pretium sit curiosius inquirere, quomodo se habeat æmulatio ea, qua ille præfationem suam concludendam duxit, aut quid de consonantibus et ceteris rebus suâ sponte quidve secus tradiderit. Referta esse ea ceterum erroribus diversissimis, alio loco probabo. Confer annot. 50.

[49]) Граматика руского языка. 2. изд. Во Львовѣ 1864. pag. III, ubi hæc quoque adsunt: „Систему задержавъ емъ тую саму, що въ первôмъ изданю, и якъ попередне так и теперешне изданье опирае ся предовсѣмъ на сочиненяхъ моего учителя, всесвѣтлѣйшого г. проф. дра. Фр. Миклошича, которого науковіи изслѣдованя въ словяньскôй филологіи до руского языка приноровити и легко понятнымъ способомъ выложити було моимъ стараньемъ.“ His conformem esse doctrinam de consonantibus (ibidem pag. 25—39) satis superque patebit, si eam cum Miklosichii gramm. compar. I, 358—370 contuleris.

[50]) Gramatika jezika hèrvatskoga. Osnovana na starobugarskoj slověnštini. Dio pèrvi: Glasovi. U Zagrebu 1864. pag. III, IV et 70—89 coll. præsertim cum meæ Srovnávací mluvnice pag. 140—156. Reliquæ præstantissimi ceterum libri illius partes nondum editæ sunt. Quod ut brevissimo spatio interjecto fiat, eo magis exopto, quo certius est, grammaticâ illa non solum Croatis, verum etiam mihi ipsi opus esse, præsertim cum constituerim tam de ea quam de ceteris slavicis usui imprimis scholarum nostrarum destinatis simul judicium ferre.

[51]) L. l. in annot. 21. pag. V. Ibidem de consonantibus linguarum balt. et slav. solum in transitu agitur. Altera autem grammaticæ polonicæ editio, quam pariter jam in annot. 20 laudavi, in

Restat itaque solum, ut probem, quod jam supra dixi, Schleicherum in explanandis consonantibus slavicis parum profecisse.

Patebit id luculentissime, si solum Compendium ejus (pag. 243—254) cum Formenlehre der kirchenslaw. sprache (pag. 143—156) accuratius contulerimus. Hoc enim facto comperiemus, summa eorum, quæ de consonantibus pbulg. illic traduntur, nihil prorsus differre a rebus hic præceptis. Ut uno alterove exemplo utar, utrobique solum earum consonantium, quæ in vocum mediis et finibus occurrant aut olim in usu fuerint, ordine ceterum inverso ratio habetur, reliquæ vero prorsus negliguntur. Præterea pleræque consonantium contiguarum mutationes utrobique eo explicantur, quod Slavi ab illarum geminatione abhorrent. Ratio denique, qua Schleicher mutationes illas ad horrorem hunc quasi causam referre conatur, utrinque prorsus congruit. Utrobique enim uno atque eodem modo sumit, majores nostros in mutandis consonantibus tam teneros fuisse, ut nullam earum simpliciter elidere consueverint, sed priusquam id fecissent, maluerint eas in proxime sequentes mutare. Quo factum sit, ut v. c. netij, quod jam supra (pag. 12) commemoravi, proxime ex nettij, non autem ex neptij, eliso simpliciter *p*, oriretur. [52])

Quod jam ad qualitatem hujus consonantium tractandarum rationis attinet, averterer a vero, si dicerem, eam prorsus posthabendam esse illi, quam ex. gr. Bopp, de quo ceterum lege sis annotationem 34, sequendam existimavit. Similiter tamen hæc quoque certissima sunt: 1) fundamenta, quibus illa docendi ratio nititur, non sunt nova aut, quod idem valet, non a Schleichero sed, ut jam supra (pag. 12 et 13) exposui, a Dobrovskyo jacta. Quod cum ille, nisi fallor, nusquam vel ita confessus sit ut ex. gr. Pott, [53]) vix est, cur querimonias ultro citroque jactet his Ciceronis (de fin. 4, 5, 13) aut aliis similibus verbis: „non satis magnam homines tribuunt inventoribus gratiam." 2) Ratio, qua Schleicher fundamentis illis innixus in explicandis consonantibus slavicis versatur, nova quidem est, sed tot et tantis vitiis excellit, ut eum minime deceat ad se referre hunc versum: „felix, qui potuit rerum cognoscere causas"

---

universum parum differt (pag. III et IV) a prima adornata a. 1845, ubi consonantes brevissime quidem, at rei naturæ prorsus convenienter tractantur (pag. 7—14, illic pag. 5—12).

[52]) Quæ fide digne relata esse, hæc duntaxat Schleicheri ipsius verba testentur: „Ein grundgesetz des slawischen ist es, niemals die verdoppelung eines consonanten zu dulden; die in anderen sprachen so oft stattfindende vollkommene assimilation des ersten consonanten an den zweiten ist auch im slawischen ser häufig, aber an ire stelle tritt scheinbar das auszwerfen des ersten lautes; selbst wenn zwei gleiche laute zusammentreffen, wird nur einer geduldet oder der erste dissimiliert, das vermeiden der verdoppelung ist das princip, aus welchem die meisten der folgenden gesetze fliessen" (Formenlehre pag. 144 et 145). „Die volständige assimilation, die häufig statt findet, fält mit der auszstossung des ersten lautes zusammen, da das slawische niemals einen consonanten verdoppelt" (Compendium pag. 235). Denique meminisse juvabit, Schleicherum jam a. 1851 conatum esse eas consonantium bohemicarum mutationes, quæ „in den Organismus der Sprache tiefer greifen und auch in der Schrift dargestellt werden," ad hoc revocare præceptum: „Eine Grundregel ist es, dass nie ein Consonant verdoppelt wird" (Zeitschr. für die österr. Gymn. pag. 287 et 288).

[53]) Etymol. Forsch. Ed. pr. II, 258.

aut habita ratione sectatorum suorum obsequi Plinio dicenti: „suæ quisque inventioni favet et quasi fortissimum complectitur, cum ab alio dictum est, quod ipse prævidit“ (Epist. 1, 20, 13). Origo vitiorum illorum in universum inde repetenda mihi videtur, quod Schleicher eam de consonantibus agendi rationem, cujus indolem et fata apud nos Slavos supra (pag. 15 et sequ.) paucis adumbravi, sive ignoraverit sive despexerit et contemserit. Secus enim vix ac ne vix quidem esset, cur primæ Compendii ejus parti, a. 1861 editæ, hæc imprimis vitio vertere liceret: primum quod ibidem consonantes, quæ in pbulg. vocum initiis inter se concurrant, tam temere et insolenter negligantur, ut ne Böhtlingkii quidem, qui in illis colligendis et in usum nostrum convertendis primus et insigniter desudaverat, Schleicheroque amicissimus esse videtur, vel mentio fiat; etiamsi nec occasio id faciendi desit.[54]) Deinde tantum abest, ut ibidem penitus repudietur, ut pertinaciter repetatur sententia, Slavos a simplici consonantium elisione ita abhorruisse, ut supra retuli. Falsissimam illam esse, jam annis abhinc undecim eo potissimum probavi, quod in vetustissimis linguarum slavicarum monumentis ne lenissima quidem perfectæ consonantium assimilationis vestigia reperiantur.[55]) Quod cum ne Schleicher quidem ipse neget et præterea infra nullo negotio demonstraturus sim, Slavos etiam a consonantium ejusdem generis collisione summopere abhorrere, concedatur necesse est, hos in elidendis consonantibus nunquam se eos exhibuisse, qui illi suffragarentur, sed maluisse uti licentia communi eas consonantes, quarum collisionem cum aliis tolerare nequirent, simpliciter seu missis ambagibus a Schleichero fictis ejiciendi. Qua enim quæso ratione potuissent majores nostri unquam eo ineptiæ adduci, ut odiosissimam sibi consonantium geminationem ideo præcipue cierent, ut ab ea liberarentur? Meo quidem judicio talis agendi ratio a rei natura prorsus aliena est aut, ut aperte dicam, tam absurda mihi videtur, ut arridere possit quum plurimum grammaticis similibus Schleicheri, utpote cujus ingenium et animi vires ex iis præsertim, quæ in annot. 24 et 34 leguntur, pernoscere liceat. Quamobrem justi et periti rerum harum judices id quoque facillime perspicient, quo factum sit, ut Schleicher ibidem denique nec ipse quæreret nec perhiberet, ab aliis jam quæsitum fuisse, quid imprimis fuerit causae, quod Slavi geminatas consonantes ex omni aetatum memoria summopere aversati sint et unde sint derivandæ ceteræ seu eæ consonantium contiguarum mutationes, quarum origo ab horrore illo duci nequaquam possit.

His jam satis superque probatum esse puto, quod mihi proxime proposueram quodve est, Schleicherum in tractandis consonantibus pbulg. parum aut, ut magis definite dicam, longe minus profecisse quam potuisset et debuisset, ne de illo valeret hoc Velleji Paterculi effatum:

---

[54]) Compendium pag. 94 et 95, ubi præsidia doctrinæ de lingua pbulg. nominantur idque eo ordine, ut formenlehre sæpe l. præcedat, complura Miklosichii opera sequantur et slovarь Vostokovii agmen claudat.

[55]) In censura Čelakovskyi „čtení o srovnavací mluvnici slovanské“ his imprimis verbis: „Připodobení úplného ve slovančině, nakolik ji historicky známe, ani nejmenší stopy nenajdeš. Daremné je tedy se Schleicherem vysouvání souhlásek prostředkem připodobení vykládati čili na př. o *damь* m. *dadmь* učiti, že se v něm *dm* nejprvé připodobilo v *mm* a potom teprvé jedno *m* vysulo“ (Časopis mus. král. čes. 1854. pag. 141 coll. cum pag. 133, num. 4 et 5, ubi Diezii et Pottii præcepta de eadem re partim afferuntur partim indicantur).

„difficilis, inquit, in perfecto mora est, naturaliterque quod procedere non potest recedit." Restat adhuc, ut eo, quem supra (pag. 12, num. 3) indicavi, modo evincam, eam de consonantibus nostris agendi rationem, quam Schleicher ignorandam aut spernendam existimavit, rei quoque ipsius naturæ prorsus consentaneam esse. Quod quidem commodissime et aptissime ita fieri posse confido, si ad interrogata ea, quibus supra contra Šafaříkium (pag. 14) et Schleicherum usus sum, habita duntaxat linguæ pbulg. ratione, illico seu ante rem hoc dedero responsum: Bulgari prisci contiguas consonantes potissimum ideo mutare consueverunt, ut in mediis vocabulis acervos earum dissimiles iis, quibus in initiis vocum utebantur, evitare possent.

Ut jam propositio hæc in clara luce collocari et in rem nostram rite converti possit, ipsorum quoque linguarum elementorum ratio habeatur est necesse. Juvabit itaque de his imprimis meminisse, jam Epicuro notum fuisse, ea perquam pauca, conjunctiones autem eorum innumerabiles esse. Testatur enim Lactantius, [56]) illum hæc quoque docuisse: „vario, inquit, ordine ac positione conveniunt (atomi) sicut literæ, quæ cum sint paucæ, varie tamen collocatæ innumerabilia verba conficiunt." Atque revera teste præcipue Pottio [57]) pæne nulla lingua pluribus quam circiter 50 sonis simplicibus constat. Exactius numerus eorum æque ac colorum iniri non potest. Id e contrario certissimum est, linguas et copiâ et qualitate tam simplicium quam compositorum elementorum tantopere inter se differre, ut firmissime asseverare liceat, ingenium uniuscujusque illarum nisi hoc quoque discrimine penitus cognito perspici non posse. Quot jam et qualibus sonis simplicibus linguæ indoeuropææ inter se differant, satis adhuc exploratum est. Fere idem valet de vocalibus compositis seu de diphthongis, triphthongis et quæ sunt reliquæ. Contra in investigandis consonantibus compositis in universum plurimum operæ laborisque consumendum esse, inde quam luculentissime apparet, quod hac in re, ut jam supra paucis exposui, viri tantæ quoque auctoritatis, quantâ Bopp, Miklosich et Schleicher merito florent, longe minus profecerunt quam potuissent, si eam de consonantibus agendi rationem, qua præcipue Böhtlingk, Diez, Grimm et Pott plus minusve eminuere, secuti fuissent.

Si vestigiis horum insistens compositas consonantes accuratius consideraveris, facillime tibi persuadebis, has rei ipsius naturæ plane convenienter in duo imprimis dividi genera, quorum unum consonantium acervos prorsus ineffabiles, aliud autem ceteros eosque illis oppositos complectitur. Negari enim nequit, consonantium inter se concurrentium quam plurimas ita comparatas esse, ut ne cultissimum quidem et exercitatissimum os propriam cujusque illarum vim exprimere queat velut *kd*, *gt*, *tg*, *dk*, *pz*, *bs*. Oppido patet, hos et ceteros ejusdem generis acervos consonantium solum vulgo notæ legi, ad quam tenues in mediarum speciem et contra assimilantur, conformiter seu tum demum enuntiari posse, cum *kd* in *gd* vel *kt*, *gt* in *kt* aut *gd* et cet. mutaveris. Ineffabiles itaque consonantium acervos nusquam gentium audire, legere vero sæpissime poteris, cum complures nationes plus minusve aliter scribere quam loqui consueverint. Similiter liquet, nullam linguarum tot et talibus conso-

[56]) Institutionum div. l. 3, c. 17. Ed. Lipsiensis a. 1842. I, 146. Confer Pottii Etymol. Forsch. Ed. alt. II, 1, 5—36.

[57]) L. modo l. pag. 36—73. Ed. primæ t. I, p. XIX et XX.

nantium cumulis, quot et quales ex consonantibus ejus propriis et peculiaribus effici et exprimi possint, uti, sed unamquamque illarum certo et definito horum numero genereque tantopere delectari, ut ceteros diligentissime singulariterque evitare, id est omnibus suis et propriis modis ita conetur mutare, ne ab usitatis quidquam aut saltem ultra quam tolerari possint differant. Ut hanc quoque sententiam uno alterove exemplo illustrem, primo aspectu patet, acervos *kt* et *pt* in mediis præsertim vocabulis satis facile enuntiari posse. Sunt tamen complures linguæ naturâ ita generatæ, ut cumulos illos plus minusve vehementer aversentur. Juvabit duas earum duntaxat, bulgaricam veterem et hodiernam italicam nominare. At huic cum illa solum horror acervorum *kt* et *pt* communis est. Modo enim, quo aversationem illam præseferunt aut, quod idem est, quo se a cumulis illis levare consueverunt, quam maxime inter se discrepant. Etenim Itali tam *kt* quam *pt* in *tt* mutato dicunt v. c. atto et catto pro lat. actus et captus. Contra Bulgari veteres, nisi Schleicheri more, quem jam supra, ut æquum erat, reprobavi, fingere velis, geminationem illam nunquam cierunt, sed tanta hac in causa mutandi varietate delectabantur, ut illos iisdem Senecæ et Livii verbis, quibus Schleicherum supra (pag. 10 et 11) vituperandum existimavi, optimo jure laudare liceret. Tantum enim abest, ut majores Bulgarorum *kt* et *pt* more Italorum seu constanter eodem modo mutent, ut malint *k* plerumque in *š* transformare, velut in пештн et ношть pro pek-ti et nok-ть; *p* vero potissimum simpliciter elidere, rarius interposito ъ*s* aut *s* a *t* dirimere, [58]) ut in нетнй pro nep-tij, in тетн, тепъстн, тепстн et тестн pro tep-ti. Num ceterum ab illis *k* ante *t* unquam etiam ejectum et in *s* mutatum sit, nec ne, infra diligentius exquirere conabor. Hic præstat amplius de acervorum collocatione paucis exponere, linguas eâ vix minus inter se differre quam illis rebus, de quibus hucusque actum est. Compertum enim et a Pottio [59]) maxima exemplorum copiâ probatum est, complures linguas ita esse constitutas, ut in vocabulorum initiis ne facillimos quidem enuntiatu consonantium acervos, ut *bl*, *br*, *dl*, *dr*, *sk*, *st*, *sp* et cet. tolerare possint ac proinde omni qua pares sint contentione virium in iis evitandis elaborent. Ut exemplo mihi commodissimo utar, hungarica finnicæ originis lingua verbis peregrinis et imprimis slavicis refertissima est. At haec ingenio illius ita accommodata sunt, ut a vernaculis formâ rarissime discrepent. Quod quidem his præcipue modis factum esse constat: 1) trajectione sonorum, ut in kulcs, szalma, korcsma et szerda pro ключь, слама, кръчьма et срѣда; in kalmár pro germ. krämer præterea primum *r* eadem ratione, qua in polgár pro bürger, mutatum est; 2) præfixione vocalium, v. c. in i-skola aut o-skola pro schola, a-sztag, a-sztal et ö-sztöke pro стогъ, столъ et sloven. styk; 3) interpositione vocalium, velut in barázda, bolond, gerenda et király pro бразда, блждъ, грєда et краль, quod ceterum ex germ. karl effictum esse certum est; 4) elisione consonantium, ut in czékla et szent pro сккла, slovin. cvekla, sloven. cvikla, et свлтъ. In terminandis vero vocibus Magyari tam liberi sunt et sui juris, ut præter consonantes dispares etiam geminatis delectentur atque hac solum ratione v. c. hall (audit) ab hal (piscis), hass (age, penetra) ab has (venter), vett (sumsit, emit) a vet (serit) et alia ejusdem generis discernant. Contra lingua græca, quæ omnium facile cultissima est et nitidissima, in vocum initiis etiam *κτ*, *πτ*, *βδ* et ceteros ejus generis acervos, quamquam

[58]) Miklosich's vergleich. gramm. III, 116.

[59]) Etymol. Forsch. Ed. alt. II, 1, 19—67.

ibidem sine ulla molestia exprimi vix possint, tolerat; in finiendis autem vocibus ita circumscripta est, ut nullam earum in alias consonantes simplices et compositas atque *κ* (sed tantum bis in *ἐκ* et *οὐκ*), *ν*, *ρ*, *ς* et *ξ*, *ψ*, *λς*, *νς*, *ρς*, *γξ*, *ρξ* exire sinat. [60]) Ne tamen æquo longior sim, id unum denique commemorandum censeo, non deesse linguas, quæ in terminandis vocabulis longe asperiores se præbent magyaricâ et contra quæ multo sunt teneriores quam græca. Ad illas præsertim gothica, ad has autem bulgarica vetus pertinet. Hæc enim præter *j*, de quo mox uberius disputabo, et illa consonantium *n* et *m* eaque lenissima vestigia, quæ in nasalibus vocalibus ѫ et ѧ seu *ą* et *ę* hærent, in vocum finibus nulla alia elementa consonantia tolerat. Gothica vero ibidem etiam consonantium acervis iisque non raro tam horridis delectabatur, ut optimo jure conjicere posses, eos vix unquam ita sonuisse, ut scripti essent, nisi constaret, scribendi rationem Ulfilæ politissima arte constitutam esse. Quis enim est, qui concedere nolit, v. c. acervos *sks* in fisks, *nsts* in ansts, *rhts* in fravaurhts, *rstv* in vaurstv, *hsns* in garêhsns et alios ejus generis in mediis quoque vocabulis difficiles esse enuntiatu et insuaves auditu? [61])

Quæ cum ita sint, nihil amplius restat, quam ut primo exemplis probetur, consonantes, quarum binæ aut plures in pbulg. vocabulorum initiis et mediis inter se concurrant, reapse plerumque ejusdem esse generis; deinde ea, quæ inde et ex pbulg. vocum terminatione colligi possint, exponantur; denique ad id, quod mihi propositum est, conferantur.

Me in prima rerum harum exsequenda imprimis Miklosichii lexico palæoslovenico-græco-latino usurum esse, per se intelligitur. Contra ratio, qua id facturus sim, nondum ita patet, ut supervacaneum atque inutile esse possit iis, quæ de illa præcipue pag. 11 et 12 leguntur, hæc duntaxat subjungere: 1) verborum, quæ majores Bulgarorum ab aliis nationibus mutuati sunt, solum in maximi discriminis rebus rationem habebo. Si enim secus facerem, artos disputationis hujus fines mirum quantum excederem, cum constet, vocabula illa et copiâ et qualitate ita eminere, ut dignissima sint, de quibus quæstio seorsum instituatur atque eo diligentior, quo libentiore animo consentio cum J. Grimmio, [62]) qui de illis in universum hæc præcipienda existimavit: „Für die geschichte der sprachen leisten die lehnwörter guten dienst, weil sie bei ihrer wurzellosigkeit leicht ins auge fallen und als ausnahme die regel der sprache, gegen welche sie sich allenthalben sträuben, hervorheben." 2) Numerum rarorum aut dubiorum acervorum subtiliter exsecuturus, solas vocum radices ad calculos vocabo. Quod quidem jam a Böhtlingkio quoque factum esse, certum est. Aliter enim vix perhibuisset, v. c. acervum *žv* in pbulg. vocum initiis tantum semel legi (Cf. pag. 15), cum in Miklosichii lexico linguæ slovenicæ veteris dialecti (pag. 43) præter жвати etiam жвание inveniatur. 3) Contra ab ordine, quem Böhtlingk in enumerandis consonantium pbulg. acervis adhibuit, non nihil discedam atque præcipue quod ad *g* attinet. Argumentum enim, quo eximius ille vir cyr. г aut glag. ⰳ

---

[60]) L. l. Ed. primæ II, 309—314.

[61]) Cf. præstantem R. Westphalis disputationem: Das auslautsgesetz des gothischen in Zeitschrift für vergl. sprachf. II, 161—190, cujus primis verbis etiam pbulg. linguæ mentio fit. Fuse, sed eo, quem jam perstrinxi, modo tractatur terminatio vocum pbulg. a Schleichero in Beiträge zur vergl. sprachf. I, 401—426.

[62]) Geschichte der deutschen sprache. Leipzig 1848. I, 7.

apud Bulgaros veteres non ut *g* sed ut *h* sonuisse contendit,[63]) meo judicio jam a Miklosichio[64]) satis dilutum est. Qui aliter sentire voluerint, meminerint quæso imprimis: a) in linguis, quæ cum bulgarica vetere maximis propinquitatis vinculis conjunctæ sunt, ut hodierna bulg. et slovinica, aut quæ ad illam longe propius accedunt quam russica, velut serbica et croatica, non cyr. г vel glag. Ⰳ sed х et Ⱈ potissimum ut *h* exprimi, quemadmodum jam Miklosich[65]) satis docuit; b) a Slavis præter *ch* etiam primigenium *k*, ut vulgo notum est, in *s* mutari; c) utroque alphabeto slavico præter ꙁ et Ⰸ etiam ѕ et Ⰷ contineri vixque probari posse, utrasque has literas promiscue ut nostrum *z* semper enuntiatas fuisse. Verum quidem est, vocabula, quæ in pbulg. linguæ monumentis a litera ѕ aut Ⰷ incipiunt, in altera quoque lexici, quo usurus sum, editione sub ꙁ legi; sed tantum abest, ut Miklosich ibidem discrimen harum literarum prorsus negligat, ut pag. 203 lectorem ad operum suorum duo[66]) disertissime planissimeque releget. 4) Enumerandos pbulg. consonantium acervos grandibus literis latinis imprimendos imprimis ideo existimavi, ut a contextu, qui plura cyr. typis exscripta habebit, facilius discernerentur. Qua quidem re procedente hac disputatione sæpius opus fore ex iis, quæ jam antecesserunt, nullo negotio intelligitur. Similiter patet, nequaquam prorsus repudiandam esse *h* pro cyr. х et glag. Ⱈ scribendi rationem, quam in recensendis pbulg. consonantium cumulis suffragante præsertim Miklosichio[67]) secuturus sum.

Quod jam ad acervos ipsos attinet, nullus eorum ex pluribus quam quatuor consonantibus compositus est. Ea igitur ratione recte in tria dividuntur genera, quorum unum binis, alterum ternis et tertium quaternis consonantibus constat. Habito vero ad harum qualitatem respectu pleraque genera illa in plures species partienda sunt. Quo recte facto mea quidem opinione satis elucebit, in mediis vocabulis pbulg. reapse plerumque consonantes simillimas iis, quae in illorum initiis colliduntur, inter se concurrere.

α) Acervi in vocum initiis usitati.

I^um^ eorum genus plurimas complectitur species, ac proinde etiam varietate præstat ceteris. Creberrimæ illarum liquidas *r* et *l* habent secundo loco. Spirans *v* ibidem sæpius legitur quam nasales *n* et *m*. Ante mutas demto solo *g*, quod eodem loco nec semel invenitur, longe frequentior est sibilans *s* quam ceteræ, quæ sunt *š*, *z*, *ž*, *c* et *č*. Contra *s* ante *c* et mutæ ante mutas tam raræ esse videntur et ambiguæ, ut conjicere liceat eas illa ætate, de

[63]) L. l. in annotatione 32. pag. 52.

[64]) Vergleich. grammatik. I, 202.

[65]) Ibidem pag. 224, 259, 262, 294, 297 et 335.

[66]) Vergleich. gramm. I, 217 et Glagolitisch in Ersch und Gruber's allgem. Encycl. der Wiss. und Künste. Erste Section. LXVIII, pag. 405, ubi probare conatur, literas ѕ et Ⰷ ad denotandum sonum *dz* primo destinatas esse. Quod quidem meo judicio veri simillimum est atque haud mediocriter adauget argumenta, quibus in eadem causa jam adversus Buslajevum quoque usus sum (Časopis mus. král. čes. 1862. pag. 146).

[67]) Vide sis imprimis disputationem ejus, quæ inscripta est: Die Bildung der slavischen Personennamen in Denkschriften der philosophisch-hist. Classe der k. Akad. der Wiss. in Wien 1860. X, 219, 229 et cet.

qua agitur, vix unquam reapse inter se concurrisse. Quo concesso hoc acervorum genus in octo dividendum est species, quarum

1) hos sedecim complectitur: **KR**, **GR**, **TR**, **DR**, **PR**, **BR**; **MR**, **NR** semel in **нрѣти**; **HR**, **VR**, **SR**, **ŠR** semel atque pro *sr* in composito vocabulo **шрѣсто-бой** pro **срѣсто-** aut rectius **срѣсте-бой** et in **шрѣшень** juxta **срѣшень**, quod præstat et cum prima antecedentis parte, cujus nominativus casus **срѣсть** scribitur, ab eadem radice **срѣх** ductum est; **ZR**, **ŽR**, **ČR** et **CR** pro *čr* sæpius, aliter tantum semel in **цръкы**, quod peregrinum esse constat.

2) continet quatuordecim acervos, qui sunt: **KL**, **GL**, **TL**, **DL**, **PL**, **BL**; **ML**; **HL**, **VL**, **SL**, **ŠL** semel in **шлѣмъ**, **ZL**, **ŽL** et **ČL**.

3) decem: **KV**, **GV**, **TV**, **DV**; **HV**, **SV**, **ZV**, **ŽV**, **CV** et **ČV** semel in **чванъ**, quod tamen etiam **чьванъ**, **чеванъ**, **чбанъ**, **чьбанъ** et deminutive **жбаньць** scriptum est.

4) sex: **KN**, **GN**, **DN**; **MN**; **SN** et **ZN**, quorum tamen duo, **DN** et **MN** perquam dubii sunt, præsertim cum constet, majores Bulgarorum ab utroque illorum in mediis quoque vocabulis, ut infra ad β, I, 4 probabitur, abhorruisse. Ceterum *dn* in vocum initiis sæpius quidem legitur at juxta *dъn* et *dьn*. Contra *mn* tantum semel invenitur atque in **многъ** juxta **мъногъ**, quod suffragantibus etiam vetustissimis linguæ pbulg. monumentis et germanicis manags, manag et cet. præstat.

5) etiam sex, quorum tamen primus et ultimus, ut continuo dicetur, dubii sunt. Etenim **KM** tantum semel legitur idque in **кметь**, quod etiam **къметь** et perperam **кьметь** scriptum est; **HM** semel in **хмѣль**, cujus *ě* pro *e* haud caret suspicione; **SM**, **ŠM** in **шмоуръ**, **ZM** et **ŽM** in **жмоуль**, quod tantum apud Serbos usitatum esse videtur.

6) octo: **SK**, **ST**, **SP**, **ŠT**, **ZD**, **ŽD**, **ŽB** et **ČB** juxta *čv*, ut jam supra dictum est.

7) **SC** juxta *sъc* et *c* legitur in **сцѣглъ**, **сцѣлъ**, **сцѣнити** et **сцѣпити**, quæ etiam ita sripta sunt: **съцѣглъ**, **цѣглъ**, **цѣлъ**, **съцѣнити** et **съцѣпити**. Præterea imprimis ex **растѣпение**, quod juxta **расцѣпление** semel inventum est, conjicere licet, simplex **сцѣпити** quondam etiam ab *st* pro primigenio *sk*, quo Russi in скепать, раскепъ, раскепина et cet. hodieque utuntur, incepisse. Idem sentiendum mihi videtur etiam de *sc* in **сцѣглъ**, præsertim cum pro eo, ut jam a Miklosichio probatum est, Poloni cum Russis reapse *šč*, Bohemi autem *šť* dicant. In **сцѣлъ** et **сцѣнити** denique *sc* habita linguarum cognatarum ratione in dubitationem vocandum est. Demta enim serbicâ, ubi scjena et scjeniti revera viget, nulla illarum quidquam continet, unde effici possit, vocabulis iis, de quibus agitur, *sc* deberi. Contra utrique eorum solum *c* tribuendum esse, præter serbicam reliquæ omnes, quarum Miklosich rationem habuit, testantur.

8) Longe tutius in dubio relinquere licet, num mutæ in vetustissimarum vocum bulgaricarum initiis unquam reapse inter se concurrerint. Demtis enim acervis **BD** et **GD** ceteri omnes ita comparati sunt, ut primo aspectu pateat, eos in erratorum numero referendos et silentio prætereundos esse. At nec illos suspicione carere, plura sunt argumento. Etenim *bd* tantum semel legitur idque in **бдоула**, quod teste Miklosichio „arbor quædam“ est. Meo vero judicio vix ac ne vix quidem differt significatione a **гдоуние**, quod ex gr. *κυδώνιον* effictum esse, inde quam luculentissime patet, quod unâ cum illo etiam minus detortum **кидоние** eadem potestate legitur idque in fragmento serbico sæculi XVII. Bdula autem miscellaneis serb. sæc. XVI continetur exstititque, ut jam indicavi, etiam ex *κυδώνιον*. Quod quidem eo facilius concedi potest, quo minus negare licet, *l* pro *n* non solum in boh. kdoule et gdoule aut

kdule et gdule, sed etiam in pol. gdula, quæ ceterum jam a Miklosichio quoque cum gdunije collata sunt, reapse audiri; gutturalesque et labiales consonantes haud raro inter se permutari. [68]) Quæ cum ita sint et præterea constet, pro гдє in vetustissimis pbulg. linguæ monumentis къдє scriptum esse, vix est, cur dissentiamus a Böhtlingkio, quo teste in illis mutæ ante mutas nunquam inveniuntur (Cf. pag. 15).

II^um^ genus aptissime in duas dividitur species, quarum una spirantes *s*, *š*, *z*, *ž*, *č* et *h* (id est х), altera autem mutas habet primo loco. Consonans *s* hic quoque frequentior est quam ceteræ et nominatim mutæ, utpote quarum solum *t* certe legatur, *k* vero, ut mox patebit, dubium sit. Quod vero ad reliqua elementa attinet, ea utrobique ita comparata sunt, ut media eorum tam cum antecedentibus quam cum sequentibus acervos primi generis efficiant. Quæ cum penitus nosse plurimum intersit, hac quoque ratione explicentur necesse est. Nullus horum acervorum aliis consonantibus ac liquidis *r*, *l* et spirante *v* terminatur. Nec ullus eorum ita comparatus est, ut abjecta vel prima vel ultima consonante a primi generis acervis discrepet. Ut uno alterove exemplo utar, *skr* demto *s* prorsus congruit cum acervo *kr*, qui ad I[i] generis speciem 1[am] pertinet; abjecto autem *r* ex *skr* remanet *sk*, quod in I, 6 locum suum habet. Simili ratione *tvr* omisso *t* spectat ad I, 1; demto vero *r* ad I, 3. Ceterum

1) species quindecim continet acervos, qui sunt: **SKR**, **SKL**, **SKV**, **STR**, **STL**, **STV** solum in **стволиє**, **SPR**, **SMR**, **SVR**; **ŠTR**; **ZDR**, **ZML** semel in **ζмлиѩ** pro **ζмиѩ**, quod præstat; **ŽDR**; **ČVR** solum in **ѵврьсть**, quod etiam **ѵрьствь** et **ѵрьсть** scriptum est; et **HVR**, ubi tamen etiam haud raro deest *v*.

2) species tantum duos habet acervos: **KVR** et **TVR**, quorum hic in **тврьдь** certe invenitur, ille autem in dubio relinquatur oportet. Miklosich [69]) enim **кврѣти** solum conjecturâ assecutus est idque præcipue ex composito **раскврѣти**, ubi tamen *s* non e ζь præpositionis **раζь** ortum, sed radicis *skvr* proprium esse iis imprimis videri poterit, qui inter radicem hanc et *svr*, *kvr*, *kvl* aliud discrimen noverint atque Miklosich sibi persuasit.

III^um^ denique genus tantum unum acervum, **SKVR** continet. Hunc quoque simillimum esse antecedentibus, facillime tibi persuadebis. Eo enim bifariam æquabiliter diviso exsistunt acervi *sk* et *vr*, quorum hic in I, 1; ille autem in I, 6 inest. Præterea *skvr* demto *r* prorsus congruit cum *skv*, abjecto denique *s* cum *kvr*, quorum hic ad II, 2; ille autem ad II, 1 refertur.

β) Acervi in mediis vocibus usitati.

In pbulg. linguæ monumentis haud pauca vocabula, quæ inepta græcorum imitatione composita sunt, legi, collegis meis penitus notum est. Similiter inter omnes constat, ibidem

---

[68]) Grundzüge der griech. Etymologie von G. Curtius. Leipzig 1858 et 1862. II, 42 et sequ. Aliquot permutationis hujus exempla slavica lege sis in Čelakovský čtení o srovn. mluvnici slov. pag. 92 et 93 aut in meo Zvukosloví pag. 84 et 85.

[69]) Formenlehre der altsloven. sprache. Wien 1850. pag. 56 et 57. Vergleich. gramm. I, 141 et III, 127—130. Die Wurzeln des Altslovenischen in Denkschriften der philosphisch-hist. Classe der k. Akad. der Wiss. in Wien 1857. VIII, 158 et 159. In prima lexici illius editione nec raskvrěti, quod in altera solum legitur, reperies.

etiam rite composita longe majore numero reperiri, quam ut in eorum mediis ullus acervorum, de quibus nunc ipsum actum est, desiderari possit. [70]) Denique ex rei ipsius natura sequitur, majoribus Bulgarorum pariter ac aliis nationibus integrum fuisse in mediis vocibus generatim aliquanto majore acervorum varietate quam in earum initiis delectari. Nihilo minus tamen acervi illi his tam similes sunt, ùt qualitate vix quidquam inter se differant. Quod ut et commodius et aptius exemplis probari posset, acervos tantum in mediis vocabulis compositis usitatos typis tenuioribus et paullum inclinatis, vulgo cursivis exscribendos duxi.

I^um^ jam tam horum quam in mediis vocabulis simplicibus usitatorum acervorum genus etiam in octo dividendum est species atque prorsus eodem modo, quo in vocum initiis inventas distinximus.

1) itaque species complectitur acervos, qui secundo loco *r* habent totque sunt et tales, quot et quales sub *α*, I, 1 leguntur. Quam ob rem tantum octo illorum repetendi sunt: *NR*, *ŠR*, *ŽR*, *CR*, **SR**, **ZR**, **HR** et **ČR**. Quo ita facto indicatur, quatuor horum acervorum priores tantum in mediis vocibus compositis, reliquos autem etiam in simplicibus inveniri. Verum tamen, nisi fallor, nec horum ullum ibidem sæpius legere mihi contigit quam semel atque *sr* in **бисръ**, ubi tamen *s* ab *r* vocalibus *e*, **ъ** et **ь** sæpe dirimitur, quod habita præsertim serbici biser ratione præferendum videtur; *zr* in peregrino **иꙁраиль**, in quo ceterum *zdr* pro *zr* frequentissimum est; *hr* in **вихръ** et *čr* in **чьчрѣга**.

2) continet acervos, qui literâ *l* terminantur et primâ quoque cum enumeratis sub *α*, I, 2 prorsus congruunt. Ceterum duo eorum, **ŽL** et **ČL**, in mediis vocabulis simplicibus haud carent suspicione, cum præter **кожль** et **тєчливъ** vix unquam inveniantur atque primo horum vocabulorum **коꙁьль** prorsus præstet, alteri vero **ь** ante *l* eodem jure tribuendum videatur, quo vocali illa **оурочьливъ** et pleraque adjectiva [71]) suffixo **ливъ** orta prædita sunt.

3) exsuperat speciem descriptam sub *α*, I, 3 acervo **ŠV**, utpote qui etiam in mediis vocabulis simplicibus satis frequens sit, velut in **лишьвьникъ** et **влъшвий** ortis ex **лихва** et **влъхвь**. Contra *CV* ibidem prorsus desideratur et **ČV**, nisi fallor, tantum semel invenitur idque in **оучвеннє**, cujus sensus Miklosichio dubius est, mihi autem nec forma illius arridet vocalique **ь** post *č* instruenda esse videtur.

4) species præter acervos sub *α*, I, 4 enumeratos habet etiam **HN**, **ŠŇ**, **ŽŇ**, **TN**, **PN** et **BN**, quorum tamen tantum tres priores vigent, reliqui vero pariter ac **DN** et **MN** inconstantes sunt. Dentales enim *d* et *t* ante *n*, ut jam a Miklosichio [72]) traditum est et infra accuratius probabitur, in vetustissimis linguæ pbulg. monumentis vix unquam invenies, labiales

---

[70]) Lectores rerum harum minus gnari consulant imprimis Miklosichii disputationem, cujus titulus est: Die nominale Zusammensetzung im Serbischen. Denkschriften der philosophisch-hist. Classe der k. Akad. der Wiss. in Wien 1864. XIII, 1—28.

[71]) De quibus vide sis Miklosichii disputationem: Die Bildung der Nomina im Altslovenischen. Besonders abgedruckt aus dem IX. B. der Denkschriften der philosophisch-hist. Classe der k. Akad. der Wiss. in Wien 1858. pag. 33 et 34, ubi tamen suffixi, quo **тєчливъ** formatum sit, nusquam vel mentio fit. Ceterum adjectivo **срамѣжливъ**, cujus stirps ibidem in dubio relicta est, in altera lexici, quo potissimum utor, editione **срамажьливъ** anteponitur.

[72]) Vergleich. gramm. I, 190, 193, 194 et III, 131.

autem *p* et *b* tam sæpe eliduntur, ut conjicere liceat, majores Bulgarorum quondam ab harum æque ac ab illarum collisione abhorruisse. Asseverantius idem de *m* dici posse, plura sunt argumento. Etenim testante Ern. Brücke [73]) acervus *mn* nequaquam est facilis enuntiatu. Elementa ejus insuper haud multum sono inter se discrepare, nulla eget demonstratione. Venit itaque in numerum eorum cumulorum, quos Bulgari veteres, ut mox luculentius patebit, diligentissime vitare consueverunt. Quam ægre autem illum ipsum re vera tulerint, ex iis præsertim vocabulis quæ ab aliis nationibus mutuati sunt, colligere licet. In iis enim *m* ab *n* plerumque interpositis vocalibus dirimitur, velut in **скоміьнъ**, nbulg. skomen, quod ex lat. scamnum effictum esse veri simillimum est; in **скньньнъ, скоумьнъ, скъменъ** et **скумьнъ** orto ex gr. *σκυμνίον*; in **стаменъ**, quod etiam **стамьна** legitur et ex gr. *στάμνος* natum est. Quod denique ad vernacula vocabula pbulg. attinet, nulli eorum acervus *mn* jure tribui posse videtur. In **оустръмнѫти** et **хръмнѫти** legitur quidem, at perquam dubius est eritque, donec probatum fuerit, a Miklosichio infinita verba illa ex usitatis aoristis **оустрьме** et **хрьмоше** recte efficta esse. Ex his enim solis id nequaquam efficitur, cum constet, non solum participia præteriti activi et passivi sed etiam aoristos verborum classis II[ae] plerumque a stirpe signi *nq* experte derivari. Quo fit, ut consonantes, quas Bulgari veteres ante *nq* elidere consueverunt, plerumque integræ, rarius modis ceterum usitatis immutatæ compareant, velut in **тискъ, тисклъ, тиштенъ, тискохъ, тиште** a **тиск**, cujus *k* ante *n* in **тисн-ѫ, -н, -ѫти** et cet. ejectum est. [74]) Denique minime reticendum mihi videtur, apud Bohemos quoque chrnouti pro chrmnouti esse in usu, quamvis illi ab *mn* ne in vocabulorum quidem initiis abhorreant, v. c. in mne, mně, mnou, mnouti cet. et generatim, ut infra luculentius patebit, a coacervandis consonantibus minus abstineant quam ceteri Slavi.

5) species præstat descriptæ sub *α*, I, 5 acervo **DM**, qui bis certe legitur idque in **седмь** et **кѣдмлнъ**, croat. kedman, magy. ködmön et ködmen. Præterea **KM** in vernaculis vocabulis pbulg. Miklosich quoque ipse vocali **ъ** instructo **кън** posthabendum ducit, quemadmodum ex **тъкъмъ** et ceteris ab eadem radice ductis vocibus apparet. **Кокмл** vero eodem teste peregrinum est. Similiter **ŽM** tantum in **дижмл**, quod cum magy. dézsma ex lat. decima ortum est, legitur. Denique **HM** nisi in **соухмень** et peregrinis **драхмл, рахмлнъ** ceterisque non invenitur. Ceterum primum horum vocabulorum, quocum sanscr. śuš-man conferre licet, æque ac глухмень [75]) apud solos Russos viget.

6) species præter acervos ad *α*, I, 6 allatos complectitur etiam **ZG** et *ZB*. *ŽB* tamen et *ČB* in mediis vocabulis simplicibus æque ac *zb* prorsus desideratur.

7) species præter **SC** habet etiam acervos *SH* et *SĆ*, quorum tamen ultimus literâ *s* tam sæpe levatur aut in *št* mutatur, v. c. in **нукстн** et **ништистн** pro **нсукстн**, ut conjicere

---

[73]) Grundzüge der Physiologie und Systematik der Sprachlaute. Wien 1856. pag. 67.

[74]) Alia flexionis hujus exempla vide sis in Miklosichii gramm. compar. III, 133 et 134. Quo facto comperies, **хръмнѫ** ibidem pariter ac supra dictum est in dubitationem vocandum esse.

[75]) Quod in Miklosichii disputatione, quam in annot. 70 nominavi, pag. 78 et 79 desideratur; contra in Buslajevi grammatica russ. nota jam ex annot. 47 legitur idque in editione ejus prima I, 95; in altera autem I, 108 et 109. De śuš-man vide sis Boppii gramm. comp. iterum editæ III, 166.

liceat, eum vetustissimis linguæ pbulg. monumentis haud convenire. Similiter pro *sc* in mediis vocabulis simplicibus *st*, in compositis autem etiam *c* frequentissimum est, cum testante jam Miklosichio [76]) quoque *sk* non solum in *sc* sed etiam in *st* mutetur et *s* in compositis præsertim vocabulis tam ante *c* quam ante *č* sæpissime elidatur, v. c. in **нцѣлнти** pro **нсцѣлнти**, quod ex **нꙁъ** et **цѣлнти** compositum est et cum *st* quoque pro *sc* erat in usu.

8) Num mutæ in mediis vocabulis inter se concurrerint, vix minus habet dubitationis quam ad *α*, I, 8 dictum est. Velim tamen animadvertat lector, **когда**, **тогда** et cet. ejus generis adverbia ne in vetustissimis quidem linguæ pbulg. monumentis acervo **GD** carere, juxta **стьгда** vero ibidem etiam **стьгна** et **стьгнь** frequentia esse. Contra **GB** tantum nomocanon serb. sæculi XVI continet in **дегба**, quod Miklosich cum nslovin. degmati se conferendum duxit.

II[1] generis acervi demtis *ndr* et *pst*, de quibus mox pluribus, prorsus ita comparati sunt, ut sub *α*, II tradidi. Reliqui enim omnes sine ulla dubitatione etiam ii sunt, ut abjecta vel prima vel ultima consonante cum primi generis acervis modo descriptis plane congruant. Ut hic quoque exemplo utar, acervus *zgr*, qui in vocabulorum initiis desideratur, demto *z* congruit cum *gr*, qui in mediis vocabulis pariter ac in eorum initiis frequentissimus est, abjecto autem *r* ille nihil differt a *zg*, quem in mediis quoque vocibus simplicibus inveniri, in earum autem initiis prorsus desiderari, jam notum est. Præter *t* in *pst* nonnulli horum acervorum nasali *n*, reliqui autem iique plurimi liquidis *r*, *l* et spirante *v* terminantur. Habita præterea primæ quoque consonantis ratione hoc acervorum genus in quatuor dividitur species, quarum

1) eos complectitur acervos, qui primo loco *s*, *š*, *z*, *ž*, *č*, *h* et *n*, tertio autem *r*, *l* et *v* habent. In numero horum eos imprimis, qui ad *α*, II, 1 allati sunt, ita habere oportet, ut sex eorum solum in mediis vocabulis compositis inveniri existimentur et quidem: *STL*, *SMR*, *SVR*, *ZML*, *ČVR* et *HVR*. Reliquorum novem tantum unusisque **STV** dignus esse videtur, cujus hoc quoque loco mentio fiat. Ejus enim majores Bulgarorum in mediis quoque vocabulis simplicibus tam cupidi erant, ut eo pro *st* quoque et *tv* haud raro uterentur. Illud accidit v. c. in **лнствнѥ**, **напаствовати**, **поѹьствнтн** et **шьствнѥ** atque ita, ut vocabula hæc etiam sine *v* post *st* essent in usu. Contra **пажнтва** pro **пажнства** nondum quidem legere contigit, verum tamen litera *s*, qua vocabulum hoc ab illo differt, nec radicis nec suffixi propria est, sed originem suam soli illi cupiditati, de qua agitur, ita debet ut in suffixo *stvo* pro *tvo*, præterquam quod *stva* loco usitatissimi *tva* nusquam nisi in pa-ži-s-tva invenitur, quum *stvo* copula **ь** instructum pro *tvo* frequentissimum sit. [77]) Huc item referuntur viginti acervi, qui sunt: *SPL*, *SHR*, *SHL*, *SHV*, *SCV*, **ŠTV** in **пъштвы** et loco *štvl'*, ut mox dicetur; **ŠVL'** tantum semel in **вльшвлѥннѥ**, ubi tamen plerumque etiam **ь** post *š* legitur; **ZGR** tantum in **коꙁгрꙑ**, *ZGL*, *ZGV*, *ZDL*, **ZDV** pro *zd* ita; ut supra de *stv* pro *st* docui, sed tantum in **гвоꙁдвнй**, quo **гвоꙁдий** usitatius fuisse videtur; *ZBR*, *ZBL*, *ZVR*, **ZVL** in **нстрѣꙁвлꙗтн** et **иꙁвлꙗтн**, quibus tamen æque ac **трѣжвлѧ**, **ѧжвлѧ** et ceteris ejusdem generis **ŽVL'** tribuendum

[76]) Vergleich. gramm. I, 202, 216 et 217.

[77]) Confer sis Miklosichii disputationem in annot. 71 l. pag. 60—63, ubi tamen nec pažistva legitur nec satis probatur, šьstije ex šьstvije eliso *v* ortum esse.

esse, jam Miklosich quoque conjecit;[78]) *ZMR*, *ZNR* et *NDR*. Ultimus et penultimus horum acervorum tantum in vocabulis compositis, quorum definita pars a radice *nr* ducta est, inveniuntur, v. c. in **иꙁ-нрѣти, беꙁ-нравние, по-ндрѣти** et cet. Literam *d* in *ndr* pro *nr* ejusdem esse indolis ac in *zdr* pro *zr*, *n* autem ante illam legi consonantium *m* et *n* in vocales *ą* et *ę* mutandarum adversari, infra luculentius patebit nihilque supererit, cur miremur, *ndr* tantum semel ita dividi posse, ut cum primi generis acervis congruat idque abjecta prima ejus consonante. Demto enim *r* remanet *nd*, a quo veteres Bulgari quam vehementissime abhorruere, ut legem, quam modo commemoravi, servare possent.

2) species tantum acervum **TVR** certe habet, utpote qui in medio quoque vocabulo simplici **четврътъ** rite vigeat. Contra *KVR* habita præsertim eorum, quæ ad *α*, II, 2 leguntur, ratione in dubio relinquatur oportet.

3) continet acervos, qui primo loco *s* et *z*, tertio autem *n* habent suntque: **STN**, **ZDN**, **SKN** et **ZGN**. At hos demto ultimo perquam inconstantes esse, jam ex iis, quæ ad *β*, I, 4 allata sunt, colligere licet. Annotandum præterea est, acervos illos rarissime legi idque ita, ut loco eorum etiam alii iique indoli linguæ pbulg. prorsus convenientes inveniantur, velut *sn* et *sk* pro *stn* et *skn* in **опоусиѣти** pro **опоустиѣти, тѣскота** pro **тѣскнота**; *zd* et *zn* pro *zdn* in **браꙁда** et **браꙁна** pro **браꙁдна** et cet.

4) species tantum uno prædita est acervo eoque **PST**. At hic quoque magnæ videtur obnoxius esse dubitationi. Nusquam enim nisi in verborum, quæ ad I^am^ classem referuntur et a radicibus labiali *p* et *b* terminatis ducta sunt, infinitivo et supino legitur atque, ut jam supra (pag. 24) Miklosichii testimonio probavi, juxta *pъst*, *st* et *t* pro inaudito apud Bulgarorum majores *pt*. Denique *pst* æque ac *ndr* tantum semel ita dividi potest, ut cum primi generis acervis congruat idque abjecto *p* cum *st*. Demto enim ex illo *t*, superest acervus *ps*, qui v. c. in **липсати** et **недепсати** legitur quidem, sed in dubitationem vocandus est, præsertim cum constet, verba illa ex lingua græca in slavicas australes media denique ætate immigrasse.

III^um^ genus præter *SKVR*, de quo ceterum lege sis præcepta ad *α*, III data, complectitur etiam **STVL'** et **ŠTVL'**, quorum tamen prior tantum in **прѣсѫштьствлꙗти сѧ** et **прѣсѫштьствлѥнию** legitur idque pro posteriore, qui in mediis vocabulis simplicibus frequentissimus est. Majores enim Bulgarorum non solum *stv* verborum IV^ae^ classis: **дарьствити, дѣйствити** et complurium aliorum, in quorum numerum etiam **прѣсѫштьствити сѧ** venit, sed etiam *tv* in **оумрътвити**, juxta quod literæ quoque *v* expers **оумрътити** erat in usu, ante *j* plerumque in *štvl'* aut neglecto *l* euphonico[79]) in *štv* mutare consueverant. Quo factum est, ut v. c. **дарьштвлѭ, оумрътвлѭ -ѥнъ -ꙗти** aut **оумрътвѭ, -енъ -ꙗти** et cet. pro darьstvlją, umrъtvl-ją, -jenъ et -jati vigerent. Denique nihil est, cur silentio prætereatur, acervos *stvl'* et *štvl'* abjectis *s* et *š* haud congruere cum secundi generis acervis, cum *tvl'* nusquam inveniatur. Verum tamen *tvl'* ad *tvr* tam prope accedit, ut id, quo inter se differunt, minime impediat, quominus repetatur, acervos consonantium pbulg. in mediis vocabulis usitatos simillimos esse eorum, qui in vocum initiis vigent.

---

[78]) Vergleich. gramm. I, 210 et 211; III, 146 et 147.

[79]) De quo præter l. modo l. vide sis etiam I, 178—181.

Proximam singularis hujus et eximii concentus causam in vocum pbulg. terminatione sitam esse, jam Böhtlingk eo, quem supra (pag. 15) protuli, modo recte quidem conjecerat, sed probare intermiserat. Quod antequam ego præstem, oportet illa, quæ ibidem (pag. 25) de litera *j* promisi, observare atque eo diligentius, quo magis de ea celeberrimi linguarum slavicarum investigatores inter se dissentiunt.

Ut hujus quoque rei contortæ et difficilis initium a Dobrovskýo [80]) faciamus, ex ejus opinione „vocalis ї, natura sua liquidissima, aliis vocalibus ita præfixa, ut cum eis coalescat in unam syllabam, æquivalet latino et germanico *j*, adeoque naturam consonantis induit. Hinc syllabæ ꙗ, ѥ, ꙗу seu ю, uti *ja*, *je*, *ju* pronunciandæ, pro diphthongis haberi non possunt. In fine vero post vocales alias appositum и, quando cum vocali præcedenti uno oris motu conjunctim effertur, diphthongum proprie sic dictam constituit. Tales sunt: ай, ой, оуй єй, ый; et prefixo ї: ꙗй, ѥй, юй. Quo in casu и superne notari solet sigla, quam colliquescentem (слитнаꙗ) appellant Grammatici.“ Nihil id esse aliud quam meram opinionem, asseverare debeo, cum nec ibidem nec in ceteris ejusdem auctoris libris hac in causa quidquam, quod vel speciem argumenti haberet, legere mihi contigerit.

Vix igitur est, cur miremur, quod Kopitar opinionem illam tantopere despexerit, ut ejus de eadem re disputans [81]) ne mentionem quidem faceret. Cave tamen putes, benevole lector, ab acerrimo illo alienarum sententiarum judice difficultates, quibus hæc res summopere obstructa est, ita expeditas esse, ut nihil amplius negotii superesset. Contra temperare mihi non possum, quin declarem, ea omnia, quæ ab eodem de и et і præcipiuntur, tam confusa esse et obscura, ut plerumque difficillimum sit dictu, quidnam sibi proprie velint. Ne rei actæ modum excedere videar, liceat mihi duntaxat summa præceptorum illorum afferre modiceque perstringere. Teste jam Kopitario „*j* consona slavicæ linguæ longe familiarissima est ideoque ejus signum maxime necessarium: quo assumto Serbus Vuk expeditissimam reddidit popularibus suis scriptionem.“ Sane, sed jam alio loco [82]) satis superque probasse mihi persuadeo, utriusque alphabeti slavici auctoribus elementa linguæ pbulg. tam accurate nota fuisse, ut sine piaculo ne suspicari quidem liceret, illos „de *j* tantum laborasse,“ ut Kopitario videbantur aut, quod idem valet, utrumque illorum *i* a *j* tam leviter discrevisse, ut cum Kopitario pro certo habere liceret, и et і æque ac glag. ⰻ et ⰺ a principio „esse abundantia ejusdem *i* soni signa,“ itaque in alphabeto tam cyrillico quam glagolitico ab ultima origine desiderari literas ad designandum sonum *j* destinatas. Contra plurima sunt argumento, literas і et ⰺ munere

[80]) Institutiones linguæ slav. dial. veteris. pag. 10 et 11.

[81]) Glagolita Clozianus. Vindobonæ 1836. pag. 49—53.

[82]) Časopis mus. král. čes. 1864. pag. 234—240. Ibidem pag. 194 et 195 ac novissime in disputatione de nasalibus vocalibus bulgaricis (Književnik. U Zagrebu 1865. pag. 416 et 417) paucis exposui, cur de alphabetorum slavicorum origine consentiam cum A. Vostokovo, quo teste „adhuc sub judice lis est, utrum illorum antiquius sit“ (Грамматика церковно-словенскаго языка. Санктпетербургъ 1863. pag. 1). Nihilo minus tamen lætus gratusque fatear necesse est, præcipue P. J. Šafaříkium et Fr. Miklosichium hac quoque de re optime meruisse, cum contenderent, s. Cyrillum glagoliticarum literarum esse auctorem (Ueber den Ursprung und die Heimath des Glagolitismus. Prag 1858 et Glagolitisch l. l. in annot. 66 pag. 403—422).

nostri *j* primo defunctas, deinde vero a librariis Græcos et Latinos perverse imitantibus cum и et ҭ ita confusas esse, ut iis vetustissimi quoque codices pbulg. promiscue uterentur ad *i* et *j* denotandum.[83]) Quo, ut alia prætoream, tandem id quoque evenit, ut syllabæ *ja*, *aj*, *je*, *ej* et quæ sunt reliquæ inconstanter designarentur idque a Cyrillitis hac ratione: ꙗ, ай, ѥ, ей et cet. Caput autem ad hæc omnia facile concedenda est nosse, antiquissimos quoque codicum pbulg. fere totis duobus sæculis inferiores esse Cyrillo scribendique rationem ab eo politissima arte constitutam tanto temporis intervallo naturaliter quam plurimis vicissitudinibus obnoxiam fuisse. Denique probabile est, Kopitarium de и et і secum quoque ipso dissensisse. Simul enim atque literam *j* slavicæ linguæ „longe familiarissimam“ esse dixit, annotat, „Slavum, plane ut græcum, non alias habere diphthongos quam quas I et V faciant cum reliquis vocalibus;“ infra vero tantum abest, ut his conformiter ай, ей et ceteras ejusmodi literarum conjunctiones diphthongis *ai*, *ei* in æquo ponat, ut illas pariter ac ꙗ, ѥ, ю et quæ sunt reliquæ „vocales sono *j* affectas“ et quas inventor literarum cyrillicarum „addita alphabeto una *j* literâ exauctorasset“ appellet.

Præstantissimus Kopitarii discipulus, Fr. Miklosich,[84]) de й prorsus dissentit a Dobrovskýo, utpote cum plane et aperte doceat, ай, ей, ой et ceteras ejusmodi literarum conjunctiones ut *aj*, *ej*, *oj* sonuisse. Idem etiam de P. J. Safaříkio statuendum esse, plura sunt argumento.[85]) Contra de і re ipsa spectata clarissimi viri illi inter se concordare existimandi sunt. Omnes enim ad unum і vocalibus præfixum consonanti *j* in æquo ponunt, sed ignorant, illud generatim ad hanc denotandam primo destinatum esse. Quid autem ceterum illis de і videatur, nihil attinet dicere, cum hoc loco præcipue de *j* in extremis vocabulis et syllabis agatur.

Eadem de causa sufficiat solum meminisse, Böhtlingkium[86]) jam abhinc quatuordecim annos de і re ipsa spectata idem docuisse, quod ego nuper l. l. in annotatione 82 probare conatus sum. Contra de й maxima inter nos dissensio est. Ego enim hac de re Šafaříkii et Miklosichii doctrinam profiteor, ille autem a nobis tantopere discrepat, ut ne de russico quidem й, quod ex pbulg. й in literarum latinarum speciem effictum esse, oppido patet, velit idem sentire nobiscum contendatque potius, illud cum vocalibus antecendentibus in diphthongos *ai*, *ei*, *oi* et cet. coalescere, hoc autem ut *j*ь sonuisse. Verum tamen utraque sententia hæc contemnatur necesse est.

Prior enim earum ne minime quidem probatur hac imprimis Böhtlingkii argumentatione: „Nisi, inquit, sine ulla necessitate peculiarem de imperativo a stirpibus in vocales cadentibus ducendo legem sancire velimus, й in дай, пей, рой æque ac in бери, неси et cet. vocalem putemus necesse est.“ Namque compertum est, sonos in syllabas junctos alios aliis

---

[83]) In vitio hoc codices glagoliticos superiores esse cyrillicis, collata disputationis meæ, quam modo primam commemoravi, pag. 200 cum Šafaříkii Památky hlaholského písemnictví (V Praze 1853) pag. 18 et 19 facillime tibi persuadebis.

[84]) Lautlehre der altsloven. sprache. Wien 1850. pag. 27—32. Vergleich. gramm. I, 106—115.

[85]) Et in his libri „Ueber den Ursprung und die Heimath des Glagolitismus“ pag. 20 et 21, ubi й constanter latino *j* redditur.

[86]) L. l. in annot. 32 pag. 41—49, 58—61, 107 et 108.

varie affici et mutari aut, ut præstantissimi Pottii [87]) verbis ipsis utar, „dass jeder Buchstabe in jeder verschiedenen Stellung in so fern ein anderer wird, als er durch seine Nachbaren, und diese durch ihn, influenzirt und gewissermassen neutralisirt wird." Accedit, quod rei huic apud Russos in formando imperativo tantum loci est, ut illi hujus signum, quod *i* est, post vocales non solum in й mutent, verum etiam elidant idque semel in не бось loco не бойся; post consonantes autem simplices et syllabas vocis sono efferandas seu accentu præditas *i* in ь extenuent, hoc est, ita obmutescere sinant, ut vestigia ejus quædam tantum in emollitis consonantibus supersint, velut in дунь, морозь, сядь et aliis ejusdem generis. [88]) Liquet igitur, argumentum, de quo agitur, hac quoque ratione exprimendum fuisse: „Nisi sine ulla necessitate peculiarem de imperativo a stirpibus in vocales cadentibus ducendo legem sancire velimus, й in дай, пей, рой æque ac in не бось, дунь, морозь et cet. obmutuisse existimemus necesse est." Atque quis dubitet, quin ratiocinatione hac argumentum illud ita refutetur, ut continuo ad reliqua duo pariter expedienda fidenti animo transire possimus? Prius eorum ex lingua slovinica desumtum esse videtur. Qua in causa assentior quidem Böhtlingkio exprobranti, Kopitarii sententiam de *aj*, *ej*, *ij*, *oj*, *uj* et *av*, *ev*, *iv*, *ov*, *uv* in extremis vocabulis et syllabis slovinicis a Pavskijo in contrarium detortam esse. Kopitar [89]) enim satis plane et aperte docet, syllabas illas a popularibus suis instar diphthongorum *ai*, *au*, *ei*, *eu* et cet. exprimi. At tamen hoc posito et concesso, quomodo sequatur illico, ut illud idem apud Russos quoque locum habeat, haud intelligo. Constat enim et, ut mox patebit, Böhtlingk quoque ipse concedere debet, Russos non solum a diphthongis sed etiam ab hiatibus *au*, *eu*, *iu* et aliis ejusdem generis tam vehementer abhorrere, ut v. c. malint scribere завтра et dicere zaf-tra quam cum diphthongo zau-tra aut cum hiatu za-u-tra. [90]) Credibile igitur est, illis etiam syllabas *aj*, *ej*, *oj* et cet. magis arridere quam diphongos et hiatus *ai*, *ei*, *oi* atque propemodum ita, ut jam a Miklosichio [91]) traditum est. Quod ut luculentius pateat, oportet paucis exponere, quantopere Russi præsertim et Bulgarorum majores ex omni ætatum memoria aver-

---

[87]) Etymol. Forschungen. Ed. pr. II, 84.

[88]) Confer sis Miklosichii vergleich. gramm. III, 342 et 343, ubi tamen не бось, quo vulgus russicum teste Böhtlingkio quoque ipso certe delectatur, nusquam legitur.

[89]) Grammatik der slaw. Sprache in Krain, Kärnten und Steiermark. Laibach 1808. pag. 173 et sequ. Contra Miklosich Kopitarii diphthongos *ai*, *ei* et cet. syllabis *aj*, *ej* in aequo ponit; de *au* autem, *eu* et aliis ejusmodi syllabis, mutatione *l* in *u* ortis non dissentit quidem a Kopitario, sed nec diffitetur, loco illarum simplex quoque *u* frequens esse ita, ut v. c. præter vouk etiam vuk pro volk, quo scriptores slovinici uti malunt, audiatur (Vergleich. gramm. I, 224, 240 et 250). Janežič denique nec *au*, *eu* et cet. ab *av*, *ev* quidquam differre opinatur consentitque ceterum cum Miklosichio (Slovenska slovnica. U Celovcu 1864. pag. 13).

[90]) Adverbium hoc reapse ex præpositione *za* et genitivo sing. *utra* vocabuli *utro* seu ita plane conflatum esse, ut jam a Buslajevo quoque (Опытъ исторической грамматики русскаго языка. Москва 1858. II, 313) traditum est, satis superque probasse mihi videor contra Const. Aksakovum aliosque in grammaticæ illius censura, quam jam identidem commemoravi, seu in Časopis mus. král. česk. 1862. pag. 88 et 89.

[91]) Vergleich. gramm. I, 386 et 387.

sentur diphthongos antecedentium simillimas seu eas, quas teste Kopitario in græca pariter ac in slavica lingua *i* et *y* faciant cum vocalibus antecedentibus, velut *ay*, *ai*, *ey*, *ei* et alias ejusdem generis. Quam jam vehementer illis priores harum seu diphthongi *ay*, *ey* et cet. displiceant, facillimo negotio ex vocalis *y* radicum, quæ consonantibus terminantur, auctione in *va* aut, ut rem exemplo illustrem, ex квасъ (fermentum) et квасити (fermentare, madefacere), russ. квасъ et квасить, conficitur. Prius enim vocabulorum horum auctione radicis *kys*, quæ in кыс-нѫти (fermentari, madefieri), russ. кис-нуть, cernitur, vocali *a* et suffixo ъ seu ex kays-ъ ortum esse, jam a Miklosichio [92]) edocemur atque ita, ut unâ pateat, illud apud plerosque Slavos hodie quoque esse in usu. Idem etiam de verbo kvas-iti jure optimo dici posse, linguæ nostræ gnari facile concedant necesse est. Contra utrum ea omnia Schleicher [93]) novissime non meminerit, an consulto et cogitate negligat, non liquet quidem, sed habita præsertim vitiorum, quæ illi supra exprobranda duxi, ratione scire nostrâ parum, pæne dixi, nihil interest. Neque refert definire, qua ratione kvas-ъ ex kays-ъ ortum sit: itane, ut *y* prius in *v* mutaretur quam trajiceretur, an contra. Nam ad id, de quo nunc agitur, concedendum caput est nosse, syllabam *va* in kvas-ъ ex diphthongo *ay* natam esse. Simili ratione, ut probari possit, Russos et majores Bulgarorum nec diphthongis *ai*, *ei*, *oi* et aliis ejusdem generis delectari, nihil attinet dicere, num prius *ě* seu ѣ in věd-ěti totidem augendarum vocalium gradus distet ab *i* in vid-ěti, quot *va* in kvas-ъ et kvas-iti ab *y* in kys-nąti, aut cur idem potius de *ě* in вѣсъ (statera) et вѣсити (suspendere), russ. вѣсъ et вѣсить (ponderare [94]), ductis a radice *vis* in висѣти, russ. висѣть (pendere), statuendum sit; sed id solum requiritur, ut omnino constet, *ě* plerumque diphthongo *ai* originem suam debere et loco illius nec hanc nec aliam ejusdem generis diphthongum in lingua russica et pbulg. usitatam esse. Atque re vera apud Russos inter ѣ et *e* tam parum interest, ut illi priore harum literarum facillime carere possint. [95]) Quod cum ne Böhtlingk quidem ipse neget, deinde pbulg. ѣ syllabæ *je* in æquo ponat, denique nihil habeat, quo refellere possit Boppium [96]) aliosque contendentes, ѣ plerumque ex diphthongo *ai* nasci: concedat necesse est, Russos ab *ai* et aliis ejusmodi diphthongis longe vehementius abhorrere quam Bulgaros veteres, quippe qui, si quidem Böht-

---

[92]) Lautlehre der altslov. sprache. pag. 37. Vergleich. gramm. I, 145, 245, 286, 315, 354, 390, 426, 465, 491 et 506. Die Bildung der Nomina im Altslovenischen. pag. 13.

[93]) Compendium der vergleich. gramm. der indogerm. spr. pag. 96 et 100, ubi vocabulorum, de quibus agitur, prorsus nullam habet rationem. Contra a. 1852 (Die Formenlehre der kirchenslaw. spr. pag. 78) de kvasъ non solum idem cum Miklosichio sentit, verum etiam contendit, *va* vocabuli illius ex *ay* prorsus eodem modo, quo prius *ě* in věd-ěti ex *ai*, ortum esse; itaque ѣ seu *ě* apud Bulgaros veteres instar syllabæ *ja* sonuisse. Quid autem mihi hac de re videatur, mox, ut puto, satis patebit.

[94]) Verbum igitur hoc ab illo vi non nihil differre, liquet quidem, sed nihil refert, quoniam æque certum est, apud Russos non solum composita по-вѣсить, за-вѣсить et cetera sed etiam simplex вѣшать vera et propria pbulgarici věs-iti significatione hodie quoque vigere.

[95]) Quemadmodum jam in Časopis mus. král. čes. 1864. pag. 245—250 demonstravi.

[96]) Vergleich. Gramm. Ed. alt. I, 140 et 141. Confer sis etiam Schleicheri Compendium pag. 99.

lingkio fidem habere vis,[97]) diphthongum *ai* nequaquam more Russorum seu penitus e medio tollant, sed propemodum ita servent ut *ay*, id est, alteram illius vocalem in spirantem *j* æque ac *y* hujus in *v* mutent, *a* tamen post *j* haud intactum relinquant sed in *e* extenuent. Contra diphthongo *ay* in квасъ et квасить Russi prorsus eodem, quo Bulgarorum majores, modo se levarunt. Sed e завтра præsertim, quod ex za-utra exstitisse jam supra dixi, satis apparet, a Russis legem, ad quam квасъ et квасить ex kaysъ et kaysiti efficta sunt, post varios casus diversaque discrimina rerum tandem propemodum ita neglectam esse, ut ad illos optimo jure referri possent Taciti (Ann. 3, 45) verba, quæ sunt: „rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur.“ Quo factum est, ut illi a spirantis *v* collisione cum consonantibus sequentibus non amplius abhorrerent. Quapropter conjiciendum mihi videtur, a Russis etiam spirantem *j* ante alias consonantes jam tolerari, itaque й non solum in extremis vocabulis, velut дай, пей et рой sed etiam in mediis дай-те, пей-те et рой-те sicut *j* exprimi. Quominus ita sentiamus, ne minime quidem impedimur ultimo Böhtlingkii argumento, cujus summa in his consistit: „Russi in extremis vocabulis consonantes medias in tenues, velut *g* in *k* aut *ch*, *b* in *p*, *d* in *t*, *v* in *f* et cet. mutant, mediæ autem *j* teste Raumero[98]) germanicum *ch* in Sichel, mich, dich aut *g* in Sieg respondet. Si igitur й in ай, ей, ой et cet. spiranti *j* in æquo poneretur, instar illius *ch* exprimendum esset.“ Sane, nisi præter ea, quæ ex antecedentibus huc referenda sunt, hæc quoque contrario fidem facerent: 1) Ejusdem quoque linguæ homines in enuntiandis literis tantopere inter se discrepant, ut ne Raumer quidem ipse sibi temperare possit, quin ibidem paulo ante (pag. 15) dicat: „genau genommen spricht kein Mensch einen Buchstaben ganz so aus wie der andere.“ 2) Facile concesserim, apud Russos extremas consonantes medias in tenuium speciem assimilari, sed prorsus ita id fieri ut in mediis vocabulis, habita ratione vel eorum, quæ hac in causa Pott[99]) jam dudum præeunte præsertim sagacissimo sermonis humani investigatore, Guil. Humboldtio,[100]) generatim præcipienda duxit, nego et pernego.

Nec argumenta, quibus Böhtlingk pbulg. й instar syllabæ *j*ь sonuisse probare conatur, ea sunt, quibus acquiescere oporteat. Omnia enim ad unum nituntur meris conjecturis, quarum una eo redit, ut pro comperto habeatur, ipsum quoque literarum cyrillicarum auctorem и loco й, quod teste Vostokovo[101]) sæculo demum XVI in consuetudinem venit, scripsisse aut, quod par est, Cyrillitas a magistro suo hac in re nisi notâ ˘ literæ и apposita non

---

[97]) Mihi tamen Miklosichii sententia de ѣ (Vergleich. gramm. I, 91—103) longe magis probatur, præsertim cum jam compertum habeamus, Transilvaniæ Bulgaros, qui hoc denique sæculo sermone suo patrio uti desierunt, cum superstitibus hac de re mirum quantum concordasse. Confer ejusdem auctoris disputationem: Die Sprache der Bulgaren in Siebenbürgen. Aus dem VII. B. der Denkschriften der philosophisch-hist. Classe der k. Akad. der Wiss. in Wien 1856 besonders abgedruckt. pag. 38.

[98]) Die Aspiration und die Lautverschiebung. Leipzig 1837. pag. 17.

[99]) Etymol. Forschungen. II, 62—65.

[100]) Jahrbücher für wissenschaftliche Kritik. 1829. I, 579—595. Nouveau journal asiatique. Paris 1830. V, 437—463.

[101]) Грамматика церковно-словенскаго языка. Санктпетербургъ. 1863. pag. 7.

amplius descivisse. Atqui tantum abest, ut id probari possit, ut plurima et in his ea, quorum jam pag. 33 quasi præteriens mentionem feci, contrario fidem faciant. Longe minus arridet mihi altera Böhtlingkii conjectura, qua sapientissimus literarum cyrillicarum inventor vocalem ь inconstanter seu aliter post *j* ac post alias consonantes designasse statuitur. Argumenta enim, quæ contrarium probant, tot et tanta sunt, ut illum quam hunc inconstantiæ arguere antiquius habeam. Etenim, ut alia prætoream, quisquis, ut Böhtlingk, simul ac aperte et ingenue confessus est, alphabeti cyrillici auctorem vocales puras ab affectis literâ *j* subtilissime distinxisse, opinatur, hunc и non solum pro *ji* sed etiam pro *jь* scribere consuevisse, is sua culpâ sibi notam inconstantiæ contrahat necesse est. Non ignoro equidem neque parvi pendo similitudinem, quæ v. c. nominativo гной cum кровъ est quave Böhtlingk culpam illam in virum de genere nostro divinitus meritum derivare conatur. Imo vero rem verbis nequaquam augebo, si asseveravero, non solum mihi sed etiam Böhtlingkio ipsi longe melius jam nunc notum esse quam a. 1851 erat, qua ratione ortum sit гной et alia ejusdem generis vocabula. Constat enim nunc inter omnes, vocabuli illius literam *j*, quæ v. c. in genitivo singulari гноꙗ seu gno-ja sine ulla dubitatione est, nequaquam hiatus tollendi causâ, ut Böhtlingkio illo tempore videbatur, interpositam esse, sed vocali *i* radicis *gni* eodem, quo *v* in кровъ vocali *y* radicis *kry*, modo originem suam debere, cum jam penitus pateat, vocabula illa tam suffixo quam vocalium *i* et *y* ante illud augendarum ac in *j* et *v* mutandarum modo ita plane congruere inter se, ut hac ratione stirps *gnojo* loco gno-i-o stirpi *krovo* l. kro-y-o in æquo ponenda sit.[102] Similiter nequit negari, quin suffixum *o* utrobique, ut jam Böhtlingk quoque ipse pro certo putat, sanscritico *a* respondeat. At pariter certissimum est, apud Bulgaros veteres, priusquam de lingua sua literis mandanda meditarentur, *o* non solum post *j* sed vi ejus etiam post consonantes liquidas seu molles in *e* extenuatum esse, post *v* vero et ceteras consonantes solidas seu duras intactum dimissum.[103] Quo, ut alia prætoream, id quoque factum est, ut apud illos stirps gnoj-e pro gnoj-o eodem tempore simul cum krov-o vigeret, velut in vocabulis compositis гноѥ-тоүнкъ, крово-дръжьць et quæ sunt reliqua. Cum igitur vocalis *e* stirpis *gnoje* evidenter uno duntaxat gradu remotior sit a sanscr. *a* quam extremum *o* in *krovo* cumque præterea constet, Bulgaros veteres æque ac plerosque Slavos in declinandis stirpibus vocum liquidis generatim levioribus vocalibus uti, quemadmodum vel ex locali sing. et plur. гнои et гноихъ seu gnoj-i et gnoj-ichъ collatis cum кров-ѣ et кров-ѣхъ satis superque patet: consentaneum est affirmare, vocalem stirpis extremam etiam in гной et aliis ejusmodi nominativis et accusativis sing. genitivisque pluralibus seu post *j* duntaxat altero tanto magis quam in кровъ et cet. a sanscr. *a* deflexisse aut, quod idem est, penitus evanuisse atque ita, ut jam Bulgari quoque veteres gnoj, kraj, roj et cet. loco гной, край, рой dicere solerent.

Ceterum Böhtlingkii doctrina de й, quod sciam, nemini præstantissimorum quorumque linguæ nostræ investigatorum adhuc probatur. Plurimi enim eorum hac in causa mecum Šafaříkium et Miklosichium, reliqui vero Dobrovskýum sequuntur. Ex his tamen tantum unus,

[102]) Vide sis Miklosichii disputationem: Die Bildung der Nomina im Altsloven. pag. 4 et 7.

[103]) Quemadmodum jam a Dobrovskýo (Instit. ling. slav. pag. 36 et 37) et Šafaříkio (l. l. in annot. 30) edocemur.

Fr. Bopp, dignus esse videtur, cujus hoc loco mentio fiat. Ut in vulgus notum est, ille novissime quoque [104]) docet, й cum vocalibus antecedentibus in diphthongos *ai*, *ei*, *oi* et cet. coalescere atque, nisi fallor, maxime ideo, ut firmius asseverare possit, in extremis vocabulis pbulg. demto illo lenissimo *n*, quod in nasalibus vocalibus *ą* et *ę* superest, alia elementa consonantia prorsus inaudita esse. Böhtlingkium quoque hac ipsa re etiam eo adductum esse, ut й syllabæ *jь* in æquo poneret, nemo non facile concesserit. Facere igitur non possum, quin, priusquam ad propositum revertar, paucis exponam, qua ratione sententia nostra de й sicut *j* exprimendo cum illa eadem re concilianda sit. Quapropter meminerimus imprimis, a Boppio [105]) quoque ipso *j* æque ac ceteras semivocales et nasales consonantes in lenium numero poni. Böhtlingk autem tantum abest, ut id, quod ceterum inter omnes constat, in dubitationem vocet, ut plane aperteque doceat, *j* lenissimam esse consonantium atque ad vocalem *i* proxime accedere. Quid ergo obstat, quominus existimemus, apud Bulgarorum majores consonantem *j* in extremis vocabulis et syllabis cum antecedentibus vocalibus propemodum ita leniter ut illud *n*, quod in nasalibus vocalibus *ą* et *ę* hæret, sonuisse Miklosichiumque abhinc tredecim annos [106]) idem voluisse, cum doceret, nullum vocabulorum pbulg. *pura* consonante terminari?

Sed utcunque se res hæc habet, concedendum tamen est, Bulgaros veteres a vocabulis in puras consonantes cadentibus imprimis enuntiationum causâ seu proxime ideo se abstinuisse, ut syllabas eodem modo terminatas evitare, itaque syllabis, quæ terminatione cum vocabulis congruerent, loqui possent. Etsi enim syntaxis, ut jam supra (pag. 10) quasi præteriens attigi, de casibus autem disputaturus uberius exponam, [107]) usque ad hanc diem mirum quantum neglecta jacet, nequaquam tamen ignoramus, quæ sit generatim vocabulorum cum enuntiationibus ratio aut quem finem habeat loquendi facultas, jam dudum imprimis a G. Humboldtio [108]) et Pottio [109]) edocti, illam naturali impetu eo ferri, ut ex voce humana non

---

[104]) Vergleich. Gramm. Ed. alt. I, 146 et 154—157, ubi unâ explicatur, cur Dobrovský́o comperire non contigerit, qua lege terminatio vocabulorum pbulg. regeretur. [105]) Ibidem pag. 45.

[106]) Vergleich. gramm. I. 73 et 74, ubi inter alia hæc quoque leguntur: „Im anlaut kommen die schwachen vocale nie vor, da hier ein herabsinken des starken vocals zu ъ und ь nicht denkbar ist; dafür giebt es aber auch kein altslovenisches wort, das auf *reine* consonanz auslaute. Die ursprünglich auslautenden consonanten sind abgefallen. Auslautendes н hat sich in nasalen vocalen erhalten: имѧ für imen." Contra in Lautlehre der altslov. sprache (1850. pag. 20) loco ultimæ illarum enuntiationum hæc est: „*Nur* auslautendes н hat sich in dem getrübten vocal erhalten: имѧ für imen." Ex quo efficitur, Miklosichium, cum hæc præciperet, non advertisse animum ad illa, quæ ibidem paullo infra (pag. 30—32) de й leguntur. Ceterum aperte et ingenue fatear oportet, me etiam nuper in disputatione de nasalibus vocalibus bulgaricis idem peccasse (Književnik. II, 466).

[107]) Interim vide sis exordium disputationis meæ de ablativo slav. et litv. seu Časopis mus. král. česk. 1857. pag. 227—235.

[108]) Über die Verschiedenheit des menschlichen Sprachbaues und ihren Einfluss auf die geistige Entwickelung des Menschengeschlechts. Berlin 1836. pag. 132 et sequ.

[109]) Etymologische Forschungen. II, 62 et 360.

vocabula sed enuntiationes, quæ cogitationibus designandis quasi imagines quædam inserviant, qualicunque modo [110]) effingantur. Demtis igitur iis vocabulis, quibus, ut verbis finiti modi: scribo, scripsi, scribam et aliis ejusdem generis, vis enuntiationum subjecta est, reliqua omnia ita comparata sunt, ut tantum eatenus valeant aliquid vigeantque, quatenus enuntiationibus inter se continentur, solutis autem necessitudinis hujus vinculis artissimis proxime accedant ad membra a corporibus animatis divulsa. Quæ omnia ut magis pateant, his quoque Pottii [111]) verbis ipsis explicentur necesse est: „Wie die Buchstaben keine freie und ungebundene Existenz haben, so auch, streng genommen, nicht die Wörter, da diese in Bezug auf den Satz gewissermassen dessen Buchstaben und Sylben ausmachen, der Satz selbst aber, möchte man sagen, wiederum nur ein potentiirtes Wort ist, und desshalb auch, was besonders Herling und Krüger schön ausgeführt haben, syntaktisch ganz ähnlichen Gesetzen, wie das Wort unterliegt. Die Wörter als Repræsentanten von Begriffen geniessen insofern allerdings einer gewissen Selbstständigkeit, aber wahrhaft ist dies doch nur die Selbstständigkeit eines Momentes, das einwirkend Einwirkungen empfängt und ein anderes bedingend durch dieses bedingt wird: isolirt sind die Wörter, obwohl Ganze, doch andererseits nur Bruchstücke; desshalb finden sich in den Sanskritsprachen an ihnen, wie an einem unvollendeten Baue, Zahnungen, mit welchen sie innerhalb des Satzgebäudes gegenseitig in einander greifen.“. Rem hanc prorsus ita se habere, vel ex eo satis superque elucet, quod compertum habemus, complurium linguarum, ut sanscriticæ, vocabula, quæ ad unam eandemque enuntiationem pertinent, non solum continenter scribi, sed etim ceterum ita plerumque componi et quasi coagmentari, ut ad unitatis rationem reducantur. Quapropter, ut uno duntaxat exemplo utar, Indi veteres concursum vocalium seu hiatum non solum in mediis sed etiam in finitimis vocabulis, demtis interjectionibus et vocativis quibusdam, [112]) vehementer aversabantur et, quod longe plus valet, utrumque eorum æquabiliter tollere solebant.

---

[110]) Ne tamen verba hæc in aliam partem accipiantur ac dicta sunt, annotem necesse est, me hac de re plane idem sentire cum G. Hermanno, quo judice „mirari oportet, quod in omnibus linguis, quæ ubique per latum orbem terrarum fortuitis auctæ incrementis aut olim floruere aut nunc in usu sunt, pro cujusque populi indole et cultura tam clara reperiuntur atque luculenta rationis vestigia, ac si linguarum origo acutissimis potius ingeniis quam temere dominanti fortunæ deberetur. Scilicet adeo magna quædam ac præpotens vis est humanæ rationis, eam ut etiam nescientes in omnibus rebus agundis ducem habeamus atque gubernatricem“ (De emendanda ratione græcæ gramm. pag. 2).

[111]) Etym. Forsch. Ed. pr. II, 35 et 1352. Huc item referenda sunt, quæ ibidem I, 152 hac ratione leguntur: „Das Wort, diese Satzsylbe, ist ein Keim, welcher zu seiner Entwickelung eines Bodens, der Luft und Sonne bedarf; — der Boden ist der Satz, und Luft und Sonne der Gedanke, welcher diesen durchströmt.“

[112]) Quod tamen rei naturæ prorsus consentaneum esse, quisque facile concedet, si tantum ea, quæ hac in causa a Pottio (l. modo l. I, 2) aut a me novissime (Mluvnica jaz. slovenského. pag. 164—167) afferuntur, viderit etiam atque etiam et consideraverit.

Majores quoque nostros idem olim diligentissime, more tamen suo proprio fecisse, jam abhinc undecim annis eo potissimum probare conabar, [113]) quod Slavi generatim vocabula

[113]) Časopis mus. král. česk. 1854. pag. 128—130 idque contra Čelakovskýum, qui eam linguæ nostræ proprietatem, de qua agitur, ex eo repetendam censuerat, quod puræ vocales, quas tamen ab impuris parum subtiliter discrevit, nullibi gentium audiantur. Qua quidem de re quid existimandum sit, hæsito sed ita, ut mihi contraria sententia adhuc magis arrideat, etiamsi perbene novi, eam a celeberrimis artis nostræ magistris, ut G. Humboldtio et Pottio, improbari. Illo enim judice „die consonantisch gebildeten Laute lassen sich nicht anders, als von einem Klang gebenden Luftzuge begleitet aussprechen. Dies Ausströmen der Luft giebt nach dem Orte, wo es erzeugt wird, und nach der Oeffnung, durch die es strömt, ebenso bestimmt verschiedne und gegen einander in festen Verhältnissen stehende Laute, als die der Consonantenreihe. Durch dies gleichzeitig zwiefache Lautverfahren wird die Sylbe gebildet. In dieser aber liegen nicht, wie es, nach unserer Art zu schreiben, scheinen sollte, zwei oder mehrere Laute, sondern eigentlich nur Ein auf eine bestimmte Weise herausgestossener. Die Theilung der einfachen Sylbe in einen Consonanten und Vocal, insofern man sich beide als selbstständig denken will, ist nur eine künstliche. In der Natur bestimmen sich Consonant und Vocal dergestalt gegenseitig, dass sie für das Ohr eine unzertrennliche Einheit ausmachen. Soll daher auch die Schrift diese natürliche Beschaffenheit bezeichnen, so ist es richtiger, so wie es mehrere Asiatische Alphabete thun, die Vocale gar nicht als eigene Buchstaben, sondern blos als Modificationen der Consonanten zu behandeln. Genau genommen können auch die Vocale nicht allein ausgesprochen werden. Der sie bildende Luftstrom bedarf eines ihn hörbar machenden Anstosses; und giebt diesen kein klar anlautender Consonant, so ist dazu ein, auch noch so leiser Hauch erforderlich, den einige Sprachen auch in der Schrift jedem Anfangsvocal vorausgehen lassen. Dieser Hauch kann sich gradweise bis zum wirklichen gutturalen Consonanten verstärken, und die Sprache kann die verschiedenen Stufen dieser Verhärtung durch eigene Buchstaben bezeichnen“ (l. l. in annot. 108 pag. 68 et 69). Docente autem Pottio „kann kein Buchstabe ohne fremdartigen Zusatz gesprochen und durch die Stimme dargestellt werden. Den Consonanten, wenn wir ihn ohne Vocal aussprechen, begleitet stets ein vocalisches, und zwar nachtönendes; den Vocal ein voraufgehendes, consonantisches Element, d. h. jenen ein Schwa, diesen ein Spiritus, welche beide aber in unfreier Stellung, d. h. wenn ein bestimmter Buchstab in ihre Stelle tritt, in diesem obmutesciren oder quiesciren: also z. B. bei *κα* das Schwa des *κ'* im *α*, wie umgekehrt der Spiritus des *ἀ* im *κ*“ (l. l. in annot. 109 pag. 84 et 85). Lepsius Pottii šva indefinitam vocalem appellat, sed negat, eam unicuique consonantium singillatim expressarum inhærere (Das allgem. linguistische Alphabet. Berlin 1855. pag. 24 et sequ.) Verum tamen, ut alios prætercam, Brücke (l. l. in annot. 73 pag. 113, 117, 124 et cet.) Lepsio imprimis hac de re tam sapienter adversatur, ut illum quam hunc aut viros, quorum supra mentio fit, sequi antiquius habeam. Ceterum velim animadvertat lector, me nunc quoque majore studio ad causam, ob quam Slavi vocabula a vocalibus incipienda consonantibus *j*, *v*, *h* et *g* exornare soleant, quam ad rationem, qua id proprie fiat, detegendam et explicandam incumbere. His conformiter examinanda dijudicandaque sunt præsertim ea, quæ de radicibus indoeuropæis supra (pag. 3, 4 et 11) in medium prolata sunt.

a vocalibus incipienda jam inde ab antiquissimis temporibus usque ad hanc diem plerumque iisdem consonantibus, quas in mediis vocabulis ad hiatum tollendum adhibent quæve *j*, *v*, *h* et *g* sunt, plus minusve constanter exornare nituntur. Reliqua argumenta, quibus hac in causa illo tempore et alias [114]) usus sum, nunc duobus duntaxat augere quam referre potius habeo atque præcipue ideo, ut magis eluceat, Böhtlingkii doctrinam de russico й non esse veram Schleicherumque novissime seu priore Compendii sui parte de explanandis linguæ pbulg. elementis universis longe pejus meruisse quam ex iis, quæ in illo usque ad id exprobranda duxi, colligere posses; itaque plane nihil esse, cur illi de injuria sibi his illata conqueri liceat.

Prius jam argumentorum illorum in eo consistit, quod Rutheni, quorum linguam nemo, nisi inscius aut partium studio miserrime distentus, polonicæ quam russicæ propinquiorem esse, unquam serio dixerit, non solum in devincta sed etiam in soluta oratione hiatus *a-i*, *a-u*, *e-i*, *e-u* et alios ejusdem generis in finitimis æque ac in mediis vocabulis mutato *i* in *j* et *u* in *v* evitare consueverant. Quo fit, ut teste Nic. Kostomarovo [115]) malint dicere v. c. хлѣба й соли quam хлѣба и соли, ще й смердышь quam ще и смердышь, прійми душу й quam душу и тѣло, я йду quam я иду; не вповай quam не уповай, а вповай quam а уповай et cet. Mich. Maksimovič [116]) *v* hac ratione ortum ab *u* novissime prorsus ita ut *j* ab *i* seu notâ ˘ literæ *y* apposita distinguendum duxit, velut in да ўже, то ўже, ты ўповаешь, не ў одного пана, зъ неволи ўтекали; выступала й уставала, думали й гадали et cet. Contra Miklosich [117]) et sectator ejus, demta scribendi ratione, fidelissimus, M. Osadca, [118]) tantum *u* ibidem in *v* et contra a Ruthenis converti norunt, sed hiatus tollendi causâ id fieri ne conjiciunt quidem. Quod Osadcæ eo difficilius ignoveris, quo certius est, illum libris, quos in annot. 14, 15 et 16 commemoravi, facillime uti potuisse et, quod pluris est, in ejusdem præceptis de prosodia complura vocalis *i* eo, de quo agitur, modo mutatæ reperiri exempla, ut червоне й гарне et

---

[114]) Ut anno 1857 in Srovnávací mluvnice jaz. česk. a slovenského pag. V—VIII et 131—134.

[115]) Объ историческомъ значеніи рус. народной поезіи. Харьковъ 1843. pag. 15, 16, 18, 20 et cet.

[116]) Сборникъ украинскихъ пѣсень. Кіевъ 1849. I, 11, 14, 16, 21, 24, 29, 30 et 115. Contra in priore carminum eorundem editione *v* ex *u* natum literâ в seu sicut apud Kostomarovum denotatur: не вмирали, зъ неволи вшскали, не втопила et cetera (Украинскія народн. пѣсни. Москва 1834. I, 7, 9, 13, 17). Mutati *i* in *j* exempla vide sis ibidem pag. 5, 12, 13, 16, 32 et præcipue 89, ubi inter alia пане Йване et пана Йвана loco pane Ivane et pana Ivana non semel legitur.

[117]) Vergleich. gramm. I, 347 coll. cum 351 et 352.

[118]) L. l. in annot. 49 pag. 11, 19, 20, 254 et 255. Quod autem ad scribendi rationem attinet, negari nequit, quin ea, quam Kostomarov, Maksimovič et Osadca cum plerisque popularibus suis sequuntur, imitatione russicæ neglectisque supra modum linguæ ruthenicæ proprietatibus efficta sit. Sed nec Miklosichiana, de qua vide sis grammaticæ ejus comp. I, X, ea est, quæ mihi probari possit, præsertim cum persuasum habeam, literis cyrillicis sonos linguarum nostrarum universos eo præsertim, quem anno superiore Russis commendavi (l. l. in annot. 31), modo longe aptius denotari posse quam latinis. Sunt tamen permulta, quibus permoveor, ne ab archetypis slavicis unquam nisi necessario discedam.

отже й чули. Denique meminisse juvabit, nonnulla mutationis ejusdem vocalium *i* et *u* vestigia in bohemica præsertim lingua, ut alio loco probaturus sum, usque ad hanc diem superesse.

Alterum argumentorum afferendorum Schleicheri [119]) nititur testimonio, quod est: „Mit der ausschliesslichen vorliebe des altbulgarischen für vocalischen auslaut hängt, wie bereits von slawischen gelehrten vermuthet, seine vorliebe für consonantischen anlaut zusammen; denn auch im inlaute zeigt diese sprache, wenige fälle ausgenommen, eine entschiedene scheu vor dem hiatus. Die betrachtung des ursprünglich vocalischen anlautes im altbulgarischen schliesst sich daher der seiner auslautsgesetze passend an.“ Sane atque etiam ideo, quod jam Cicero compertum habuit, cum diceret, quidquid antecedat quamque rem, id cohærere cum re necessario (Top. 12). Sed forsitan quæratis, quid valeat testis, cui tot tantaque, quanta Schleichero habita vel eorum, quæ jam antecesserunt, ratione vitio vertenda sint. Haud quidem multum sed me quoque ipso judice certe longe plus, quam ut æquum esse expedireque possit illius hac in causa ne mentionem quidem facere. Constat enim, justitiam etiam adversus infimos esse servandam, a Schleichero autem vocales pbulg. duntaxat novissime præceptis, quæ testimonio illo continentur, convenienter tractari ideoque doctrinam ejus de hiatu a rei natura aliquanto minus abhorrere quam Miklosichianam. [120]) Cum prorsus ita sentiam cumque, ut iterum verbis Ciceronis (Phil. 11, 6, 15) utar, non soleam cum homine sed cum causa dissidere, minime me decet sciscitari, cur non placuerit Schleichero doctos illos nostrum, quorum supra mentio fit, nominatim indicare seu unicuique eorum, quod suum est, reddere.

Missis igitur expostulationibus ejusmodi declaro potius, cum eo, quod Bulgarorum majores vocabula puris consonantibus terminata vehementissime aversabantur, non solum studium illorum hæc a consonantibus incipiendi sed etiam mirificum eum concentum, cujus causam proximam detegere nitimur, tam arte cohærere, ut quum plurimum a grammaticis Schleicheri similibus eo præsertim, quem jam supra (pag. 21 et 22) perstrinxi, modo ignorari aut despici possit. Alios enim et in his eos, qui in indaganda explicandaque linguarum indole sapientissimis imprimis G. Humboldtii et Pottii [121]) consiliis obtemperant, nullo jam negotio perspecturos et concessuros spero, causam illam ad pbulg. vocabulorum exitum haud inepte hac argumentandi ratione referri.

Cum jam probatum sit, Bulgaros veteres extremis vocabulorum consonantibus enuntiationum gratiâ vel ideo non pepercisse, ut syllabis, quæ a vocabulis terminatione nihil differrent, loqui possent, concedatur necesse est, illos in extremis quoque syllabis generatim præter *j*

---

[119]) Das auslautsgesetz des altkirchenslawischen in Beiträge zur vergleich. sprachforsch. I, 402.

[120]) Confer sis Compendii illius pag. 103, 104, 107 et 108 cum hujus gramm. compar. I, 123—133, ubi cohærentia, de qua agitur, penitus ignoratur perperamque docetur, *d* quoque et *n* in идж, отъ нѥго et quæ sunt ejusdem generis alia ad tollendum hiatum adhiberi. Quid vero ego de elementorum horum priore sentiam, jam in annot. 24 seu pag. 10 indicavi, de altero autem mox uberius disputabo.

[121]) L. l. in annot. 108, 109 et 111, ubi ab Humboldtio inter alia hæc quoque præcipiuntur: „Flexion, Worteinheit und angemessene Gliederung des Satzes sollten in der Betrachtung der Sprache nie getrennt werden“ (pag. 163).

et *n* vocalibus nasalibus *ą* et *ę* inhærens nullis aliis consonantium elementis usos esse seu, ut exemplo rem illustrem, illos enuntiationem хлѣбъ нашь насѫштьнъıи даждь намъ дьньсь dicendo in has dividere consuevisse syllabas: chlě-bъ-na-šь-na-są-štь-nyj-da-ždь-na-mъ-dь-nь-sь. Quo spectatis vocalibus inter alia id quoque evenit, ut Bulgarorum majores a concursu illarum seu ab hiatu in finitimis æque ac in mediis vocabulis abhorrerent. Habita autem consonantium ratione facere non poterant, quin præter *j* æquale aut simile ejus, quo nasąštьnyj terminatur, reliquas omnes in syllabarum principiis exprimerent, itaque duo imprimis vitia vitarent: unum, ne consonantes unquam geminarent, præsertim cum id in vocabulis incipiendis fieri nequaquam posset; alterum, ne in mediis vocabulis consonantium acervis dissimilibus eorum, a quibus illa incipere solerent, unquam uterentur.

Nihil igitur amplius obstat, quominus sententiam, quæ supra (pag. 23) literis rarioribus expressa legitur, hac repetamus ratione: Bulgari veteres contiguas consonantes proxime ideo mutare consueverant, ut in mediis vocabulis acervos illarum dissimiles iis, a quibus voces incipere solerent, evitare possent. Antequam tamen modos, quibus id potissimum facere consueverint, in medium proferam et explanem, duæ mihi videntur instituendæ quæstiones, quarum una eo pertinet, ut pateat, quid de mirabilis illius concentus causis remotioribus et quæ sunt ejusdem generis alia sentiam; alterius autem finis est exponere generatim, quæ sit concentus ejusdem in ceteris linguis slavicis ratio.

Quod jam ad quæstionum harum priorem attinet, in ea persolvenda psychologis imprimis et physiologis magis quam grammaticis elaborandum desudandumque esse, quivis lector eruditus et acutus perspiciet concedetque, dummodo naturam sermonis humani exactiore examinaverit judicio. Quod quidem ut facilius facere simulque etiam difficultates, quibus quæstio ea de remotioribus concentus illius mirabilis causis obstructa sit, melius cognoscere possit, meminerit ante omnia, jam a Cicerone, quid inter hominem et bestiam intersit, ita discerni: „Hoc uno, inquit ille, præstamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos et quod exprimere dicendo sensa possumus" (De or. 1, 8, 32). Sensa autem Ciceroni idem valere ac cogitata mentis vel rationis, luculentissime patet ex ejusdem auctoris Off. 1, 4, ubi discrimen illud hoc explicatur modo: „Inter hominem et belluam hoc maxime interest, quod hæc tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest quodque præsens est, se accommodat, paullum admodum sentiens præteritum aut futurum. Homo autem, quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt earumque progressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat rebusque præsentibus adjungit atque annectit futuras, facile totius vitæ cursum videt ad eamque degendam præparat res necessarias. Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitæ societatem." Denique Cicero, ut inter omnes, qui scripta ejus probe norunt, constat, credidit, primum a supremo deo sparsos esse animos immortales in corpora humana (Leg. 1, 7, 22 et 2, 11, 27; de sen. 21, 77) aut, quod fere eodem redit, humanum animum, decerptum ex mente divina cum alio nullo nisi cum ipso deo, si hoc fas sit dictu, comparari posse (Tusc. 5, 13, 38), deinde animum eundem ita esse constitutum, ut et sensibus instructus sit et habeat præstantiam mentis, in qua sit mirabilis quædam vis rationis et cognitionis et scientiæ virtutumque omnium (Fin. 5, 12). Quæ omnia paucis complexa eo redeunt, ut existimandum sit, hominem de Ciceronis

sententia a bestia animo ratione libertateque prædito et immortali nec non corpore ad cogitata animi exprimenda apto differre.

Atque ad duo annorum millia sunt, cum ea memoriæ prodita sunt. Tot autem sæculorum decursu universum hominum genus, doctrinâ imprimis christiana fretum, in omnibus artibus et literis multum profecisse, nemo sane nisi inimicus illi implacabilis aut rudis infitias ibit. Neque licet dubitare, quin studia cum in rebus naturalibus tum præcipue in linguis scrutandis explicandisque collocata nostra præsertim memoriâ tam prospere cedant, ut eorum emolumenta dignissima sint, quæ admiremur et magni æstimemus. Nihilo minus tamen re ipsa spectata concedas oportet, ne artis quidem nostræ magistris adhuc contigisse, ut hominem a bellua Cicerone subtilius discernerent, extra quam si nimis diligens scribendi genus, quo quidam illorum, ut G. Humboldt et P. J. Šafařík, plus minusve eminent, subtile ducere velis. De quo equidem cum fere idem sentiam cum Max. Müllero, [122]) satis habeo pauca ex eo infra [123]) in exemplum subjungere obscurosque aut dubios ejusdem locos simpliciter notâ interrogationis insignire, hic vero summa eorum, quæ de illa eadem re a J. Grimmio [124]) præcipiuntur, referre atque ad id, quod mihi proposueram, demonstrandum breviter strictimque impendere.

---

[122]) Vorlesungen über die Wissenschaft der Sprache. Ed. C. Böttger. Leipzig 1866. Ser. II, pag. 483.

[123]) Auctore Humboldtio „der Mensch nöthigt den articulirten Laut, die Grundlage und das Wesen alles Sprechens (?), seinen körperlichen Werkzeugen durch den Drang seiner Seele ab; und das Thier würde das Nämliche zu thun vermögen, wenn es von dem gleichen Drange beseelt wäre. So ganz und ausschliesslich ist die Sprache schon in ihrem ersten und unentbehrlichsten Elemente in der geistigen Natur des Menschen gegründet, dass ihre Durchdringung hinreichend, aber nothwendig ist, den thierischen Laut in den articulirten zu verwandeln. Denn die Absicht und die Fähigkeit zur Bedeutsamkeit (?), und zwar nicht zu dieser überhaupt, sondern zu der bestimmten durch Darstellung eines Gedachten, macht allein den articulirten Laut aus, und lässt sich nichts anderes angeben, um seinen Unterschied auf der einen Seite vom thierischen Geschrei, auf der andren vom musikalischen Ton zu bezeichnen“ (l. l. in annot. 108 pag. 65 et 66). Ibidem pag. 37 et 41 inter alia hæ quoque definitiones linguæ leguntur: „Die Sprache ist gleichsam die äusserliche Erscheinung des Geistes der Völker; ihre Sprache ist ihr Geist und ihr Geist ihre Sprache (?); man kann sich beide nie identisch genug denken. Die Sprache selbst ist kein Werk (Ergon), sondern eine Thätigkeit (Energeia). Ihre wahre Definition kann daher nur eine genetische sein. Sie ist nämlich die sich ewig (?) wiederholende Arbeit des Geistes, den articulirten Laut zum Ausdruck des Gedanken fähig zu machen.“ Teste autem Šafaříkio „jazyk jest oblesk ducha, jest duch sám, konavě živý (?). Bez jazyka byl by člověk na zemi této málem více než zvíře, neboť vždy týž a týž, zbaven jsa hlavního nástroje k založení občanské společnosti a ke všestrannému sebe v ní zdokonalování, což cíl jest člověčenstva. Jazyk jest, mluv co mluv, v prvotním tajemství plném zárodu svém dar Boží, neprostředný výprysk čili promyk (?) duše nadsmyslné“ (Slovanský národopis. V Praze 1849. pag. 4).

[124]) Über den ursprung der sprache. Berlin 1851. pag. 19 et 20.

Simul jam atque clarissimus ille vir hominis nomen sanscriticum manušja, germ. mensch et cetera a radice *man*, cogitare, ducta esse perhibuit, inter alia hæc quoque censet: „Der mensch heisst nicht nur so, weil er denkt, sondern ist auch mensch, weil er denkt, und spricht, weil er denkt. Die thiere reden nicht, weil sie nicht denken, und heissen darum die unredenden, altnordisch ômælandi, wie die unvernünftigen, mutæ bestiæ, mutum et turpe pecus; das gr. *ἄλογος* drückt zugleich aus unredend und undenkend. [125]) Das kind beginnt zu reden, wie es anhebt zu denken und die rede wächst ihm wie ihm der gedanke wächst, beides nicht additiv, sondern multiplicativ. Menschen mit den tiefsten gedanken haben auch die grösste sprachgewalt. Der schöpfer hat die seele, d. h. die kraft zu denken, er hat die sprachwerkzeuge, d. h. die kraft zu reden in uns beides als kostbare gaben gelegt, aber wir denken erst indem wir jenes vermögen üben, wir sprechen erst indem wir die sprache lernen. Gedanke wie sprache sind unser eigenthum, auf beiden beruht unsrer natur sich aufwindende freiheit, das sentire quæ velis et quæ sentias dicere, ohne sie würden wir thieren gleich baarer nothwendigkeit hingegeben sein und mit ihr sind wir empor geklommen. Die sprache erscheint also eine fortschreitende arbeit, ein werk, eine zugleich rasche und langsame errungenschaft der menschen, die sie der freien entfaltung ihres denkens verdanken, wodurch sie zugleich getrennt und geeint werden. Alles was die menschen sind haben sie gott, alles was sie überhaupt erringen in gutem und bösem haben sie sich selbst zu danken."

Ratio igitur et oratio humana artissimis quasi necessitudinis cujusdam vinculis inter se connexæ sunt aut tam apte inter se cohærent, ut nihil plane sit, cur miremur, quod Græci, natio ingenii facile omnium acerrimi atque præsertim contemplatione rerum divinarum et humanarum olim præstantissime politi, uno eodemque vocabulo, quod *λόγος* est, tam verbum quam rationem Latinorum designant. [126]) Verum tamen nec hac re nec aliis argumentis permoveri unquam potero, ut omne rationis humanæ et orationis discrimen tollam aut hanc ab illa ita differre existimem, ut iis videtur, qui nihil in rerum natura esse statuunt nisi corpora. Contra ne minime quidem dubito, quin sermo humanus reapse dupplici nitatur efficacia, quarum unam animus ratione liberoque arbitrio præditus et immortalis, alteram autem corpus

---

[125]) Cum manušja confer sis etiam pbulg. mąžь, zend. mašja et cetera, quæ optimi quique grammatici hujus temporis pariter a radice *man*, metiri et cogitare, modis tamen diversis ducunt, ut Bopp (Vergleich. Gramm. ed. alt. I, 81, 146 et III, 432), Pott (Etymol. Forsch. ed. alt. II, 1, 925 et Anti-Kaulen oder mythische Vorstellungen vom Ursprunge der Völker und Sprachen. Lemgo und Detmold 1863. pag. XVIII et 89), Miklosich (Lexicon palæoslovenico-græco-lat. pag. 395) aliique; cum pnord. ômælandi armenicum an-as-un, bestia, natum ex *an* privativo et radice *as* in as-ěl, loqui (Dictionary english-armenian and armenian-english by P. Aucher. Venice 1821. s. h. v.); cum lat. muto et turpi pecore nostrum hloupá a němá tvář, quod est rationis expers et muta res creata (Slovník česko-německý J. Jungmanna s. v. tvář); lat. in-fans cum boh. ne-mluvně, pol. nie-mowlę, pbulg. ot-rokъ, puer, mancipium, quæ omnia proprie id, quod fari nequit, denotant (Miklosich l. l. s. h. v.) et alia ejusdem generis.

[126]) Qua de re vide sis plura imprimis apud Max. Müllerum (l. l. in ann. 122 pag. 57 et 58). Ibidem p. 333 lingua haud inepte præstantissima animi conjux appellatur, utpote quæ paucissimis radicibus diligentissime excultis ingentem illi verborum copiam suppeditet.

ad colloquendum aptum necessitatique et morti obnoxium exercent. Modum autem, quo effectus utriusque earum ad unitatis rationem reducantur, ita comparatum puto, ut mente nostra comprehendi nequaquam possit. [127])

Sed hæc hactenus; nunc jam ad propositum revertar necesse est atque præcipue ideo, ne ea, quæ hac ratione M. Lazarus [128]) psychologis præcipienda duxit, prorsus ignorare aut spernere velle videar. Itaque missis ambagibus aliis statuo, acervos consonantium pbulg. non solum corporis sed etiam animi veterum Bulgarorum proprii et peculiaris efficientiâ ita constitutos esse, ut supra descripti sunt. Ut igitur causæ remotiores, ob quas Bulgarorum majores aliter comparatos consonantium cumulos aversati sint, perfecte explicari possint, vera tam animi quam corporis pbulgarici indoles et cultura probe nota sit oportet; [129]) atqui ne sperare quidem licet fore, ut eæ unquam ita cognosci possint. Quod enim ad animum attinet, de co, ut alia silentio præteream, hæc quoque memoriæ prodita sunt: *τὸ πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ καὶ τὴν φωνὴν αὐτοῦ ἀκούεις, αλλ' οὐκ οἶδας πόθεν ἔρχεται ἢ ποῦ ὑπάγει* (Joann. evang. 3, 8). Corpora etiam universa et proprie humana multo artificiosius aut subtilius constituta esse, quam ut mente nostra unquam perfecte comprehendi possint, quis est, quin cernat atque summa afficiatur admiratione? Nunquam ergo nobis continget, ut causas, de quibus agitur, omnes ad unam reperiamus. Neque me magna tenet spes fore, ut eas illarum, quæ explicari posse videntur, brevi tempore et sine insigni virium contentione patefacere possimus, præsertim cum constet, corporea quoque linguarum fundamenta ipsa tam vehementer adhuc ignorari, ut Schleicher novissime serio conetur demonstrare, illa re vera esse quæstionemque de iisdem tot tantasque habere difficultates, ut veri simile sit, eas vix unquam penitus expeditum iri. [130]) Ego autem priorem rerum harum plane nulla probatione indigere censeo,

---

[127]) Veri simile est, G. Humboldtium idem præcipere voluisse, cum inter alia hæc quoque scriberet: „Die unzertrennliche Verbindung des Gedanken, der Stimmwerkzeuge und des Gehörs zur Sprache liegt unabänderlich in der ursprünglichen, nicht weiter zu erklärenden Einrichtung der menschlichen Natur" (l. l. in ann. 108 pag. 50).

[128]) Das Leben der Seele. Berlin 1856—57. II, 24, ubi inter alia hæc quoque leguntur: „So wenig wie der Mechaniker, um den Inhalt oder die Anwendung eines mechanischen Gesetzes darzustellen, oder um die Druck- und Tragkraft eines Mechanismus zu bestimmen, auf den metaphysischen Begriff der Materie einzugehen braucht, eben so wenig braucht der Psycholog, um psychische Processe oder Gesetze darzustellen, auf den metaphysischen Begriff des denkenden Wesens zurückzugehen."

[129]) Quæ quidem ut magis pateant, his quoque L. Diefenbachii verbis ipsis prosequenda mihi videntur: „Sogar unter den Bevölkerungsklassen Eines Stammes finden wir Eigenheiten der Stimme" vel, ut ab illo infra magis definite dicitur, „der einzelnen Laute und noch mehr der Lautverbindungen verbreitet, die auf Unterschieden leiblicher und geistiger Lebensweise beruhen, mit der Zeit aber sich vererben, und zwar nicht bloss durch Erziehung, sondern auch durch allmähliche Bildung und Umbildung des Organs" (Vorschule der Völkerkunde und der Bildungsgeschichte. Frankfurt a. M. 1864. pag. 41).

[130]) Ne tamen rem hanc in falsum auxisse videar, percipe hæc duntaxat Schleicheri verba ipsa: „Allerdings ist die materielle Grundlage der Sprache und ihrer Verschiedenheiten noch nicht

memor imprimis Ciceronis verborum, quæ sunt: „Quidquid oritur, qualecunque est, causam habeat a natura necesse est, ut, etiam si præter consuetudinem exstiterit, præter naturam tamen non possit exsistere“ (De div. 2, 28, 60).

Sed si causæ non reperiuntur rerum, res tamen ipsæ eodem auctore (ibid. 2, 21, 47) observari animadvertique possunt. Videamus igitur tandem aliquando, quæ sit concentus illius, quo acervi consonantium pbulg. insigniuntur, in reliquis linguis slavicis ratio. Fuisse jam tempus, cum præter Bulgaros veteres ceteri quoque Slavi simili consonantium concentu delectarentur aut tam a vocabulis quam a syllabis in puras consonantes exeuntibus abhorrerent, pluribus probare licet argumentis, quæ tamen pleraque ita comparata sunt, ut vix satis intelligi recteque æstimari queant, nisi notum sit, quid et quomodo attulerit plurimum momenti, ut concentus ille in recentioribus linguis slavicis sensim pedetentimque turbaretur. Ad hæc igitur interrogata prius paucis respondere quam argumenta illa in medium proferre oportet.

Itaque statuo ante omnia, consonantes apud recentiores Slavos eo potissimum plus minusve aliter quam apud Bulgaros veteres inter se-collidi, quod illi generatim vocalibus longe minus pepercerunt quam hi. Satis superque patet id vel ex illis detrimentis, quæ extremæ vocabulorum vocales in recentioribus linguis nostris ceperunt. Ut enim uno duntaxat exemplo utar, inter omnes studio illarum comparandarum deditos jam dudum constat, priorem lenissimarum vocalium pbulgaricarum, quæ ъ et ь sunt sonoque ad russ. ы vel pol. *y* et ad *i* com-

---

anatomisch nachgewiesen, meines Wissens ist aber auch eine comparative Untersuchung der Sprachorgane verschiedensprachiger Völker noch gar nicht unternommen worden. Es ist möglich, vielleicht sogar wahrscheinlich, dass eine solche Untersuchung zu keinen irgend wie genügenden Ergebnissen führt; dennoch würde dies keineswegs die Ueberzeugung von dem Vorhandensein materiell-körperlicher Bedingungen der Sprache zu erschüttern vermögen“ (l. l. in annot. 9 pag. 8). Nec Diefenbach facere poterat, quin anatomos ejusdem negligentiæ argueret (l. prius l. pag. 40). Verum tamen clarissimus ille vir, quod sciam, nusquam in eum temeritatis gradum prolapsus est, ut in Schleicheri modum sibi aliisque persuadere vellet, fuisse tempus, cum homo non esset homo sed simia aut alia quædam bestia rationis et orationis expers. Etsi enim Schleicher linguas tantum corporeis fundamentis niti putat, hæc autem fere penitus adhuc ignota esse ultro fatetur, nequaquam tamen sibi temperare potest, quin opusculi illius emolumenta paucis ita complectatur: „Es ist vielleicht gestattet das bisherige Leben des Menschengeschlechtes in drei grosse Entwickelungsperioden zu zerlegen, die natürlich nur allmählich und nicht überall gleichzeitig in einander übergiengen. Diese Perioden sind 1) die Periode der Entwickelung des körperlichen Organismus nach seinen wesentlichen Zügen, wahrscheinlich von ungleich längerer Zeitdauer als die folgende Periode und hier von uns nur der Kürze wegen als ein Abschnitt betrachtet; 2) die Periode der Entwickelung der Sprache; 3) die Periode des geschichtlichen Lebens, in deren Anfängen wir noch stehen und in welche manche Völker der Erde noch nicht eingetreten zu sein scheinen“ (pag. 28). Ceterum simillima hæc esse illis commentis, quæ supra (pag. 9—12) perstricta sunt, justi et periti rerum harum judices facile concedent vixque se continere poterunt, quin huc quoque referant imprimis sapientissimum Cobeti monitum, quod ibidem (pag. 4) legitur.

mune omnium nostrum proxime accedebant,[131]) in extremis vocabulis apud omnes Slavos jam prorsus obmutuisse ita, ut v. c. даръ et сынъ nunc purissimis consonantibus terminentur concinantque cum dar et syn vel, sublato omni literarum *i* et *y* discrimine, cum sin.[132]) Idem dicendum est etiam de vocali ь ibidem sita, præterquam quod vestigia ejus in ultimis vocum consonantibus pro cujusque linguæ slavicæ indole emollitis adhuc cernuntur, velut in boh. kůň, pol. koń, serb. коњ, russ. конь ceterisque respondentibus pbulgarico конь. Velim tamen

[131]) Argumenta, quibus hæc sententia nitatur, vide sis partim apud Böhtlingkium (l. l. in ann. 32 pag. 91 et 92) partim apud me (Časopis mus. král. česk. 1862. pag. 143 et 144). Quo facto comperies, a Miklosichio et sectatoribus ejus: Boppio, Buslajevo, Schleichero aliisque ъ brevi *u* perperam in æquo poni, præsertim cum illi quoque concedant, ъ in sacra Slavorum lingua vetere lenius sonuisse quam ы, hoc autem non concinuisse cum lat. vel germ. *u* brevi. Ut aliquid spatii lucrer, continuo annoto, cetera omnia, quæ de ъ et ь auctore Böhtlingkio mox dicturus sum, l. prius l. pag. 81—94 quærenda esse.

[132]) Nihilominus tamen Russi tanto literæ ъ amore capti sunt, ut eâ vocabula non solum duris sed etiam mollibus consonantibus *c*, *č*, *š* et *ž* terminata, ut отецъ, бичъ, плющъ, кошъ, нашъ, ножъ aliaque generis masculini, contemtis V. Hankæ quoque ipsius, qui illis olim certe amicissimus erat, monitis (Počátky ruského jazyka. V Praze 1857. pag. 6), adhuc onerare soleant et, quod longe vehementius dolendum est, in alienis quoque linguis tractandis occupati plerumque idem peccent. Unde inter alia id quoque manat, ut difficillimum, pæne dixi, impossibile sit indolem bulgaricæ linguæ recentioris, quippe quæ vocalibus ъ et ь, ut mox pluribus dicturus sum, hodie quoque utatur, ex libris, quæ de illa a Russis conscripti sunt, cognoscere. Idem vitium exprobrandum est etiam in plerisque scriptoribus bulgaricis hujus temporis, utpote cum russicam scribendi rationem ineptissime et miserrime imitentur. Osadca, de quo vide sis annot. 118, a Russis hac in causa tantum eo discrepat, quod post molles consonantes ь promiscue scribere præcipit neque tamen infitiatur, Ruthenis prorsus deesse vocales, quas literis ъ et ь designare opus sit (l. l. in ann. 49 pag. 17 et 18). Contrariam huic Bielovskii et Vagilevičii sententiam jam alio loco dilui (Književnik II, 419 et 420). Apud Russos vocales ъ et ь XIV denique sæculo obmutuisse, Sreznevskij (Мысли объ исторіи русскаго языка. Санктпетербургъ 1850. pag. 50) et P. Lavrovskij (О языкѣ сѣверныхъ русс. лѣтописей. Ibidem 1852. pag. 36) tantum ex eo colligunt, quod scriptores russici, qui circiter usque ad dimidium sæculi XIV floruere, in usurpandis literis ъ et ь satis sibi constent. At nullum id esse argumentum, jam Biliarskij satis superque probavit quærendo a Sreznevskijo, cur non statuerit, apud Russos olim etiam nasales vocales fuisse in usu, cum de literis ѫ et ѧ idem ac de ъ et ь dici posset (Судьбы церковнаго языка. Санктпетербургъ 1858. I, 14). Pavskiji doctrinam de iisdem vocalibus reprobavit imprimis Böhtlingk, de ъ autem interjectionum гмъ et бръ proprio assensus est Sreznevskijo, qui illi coram perhibuerat, in utraque harum sonum quemdam obtusum non post sed ante *m* et *r* audiri. Contra Sreznevskiji ъ loco *e* in чъловѣкъ pro человѣкъ (l. l. pag. 51) Böhtlingk in dubio relinquendum duxit. At nec Sreznevskij sonos illos obtusos tanti facit, ut cum Pavskijo contendat, ъ apud Russos hodie quoque vigere. Quod denique ad vocales *l* et *r* apud populares meos et Bohemos attinet, clarissimus ille vir, ut mox patebit, in errore versatur (l. l. pag. 49).

animadvertat lector, primordia horum quoque detrimentorum, utpote quæ e linguis slavicis ipsis collatis inter se facile erui probarique possint, jam in antiquissimis quibusque codicibus pbulg. reperiri atque plerumque ita, ut jam a Miklosichio [133]) memoriæ proditum est. Ut etiam hanc rem minimum uno exemplo illustrem, annoto, præpositiones безъ, възъ et изъ etiam ante casus, quos exigere solent, jam a Bulgarorum majoribus sæpissime ita tractari ut in vocabulis compositis unâ cum inseparabili разъ. Quo fit, ut ultima earum vocalis supprimatur, consonans autem *z* etiam in sequentium tenuium speciem assimiletur, hoc est, in *s* mutetur; ab *r* et *j* interpositis consonantibus *d* et *n* disjungatur, ante *n* autem etiam emolliatur, denique cum sibilantibus *ž* et *č* in *žd* et *št* convertatur, ut in без-дѣла, въз-благодать, бе-съна, въс-кѫѭ, ис-кони, без-д-рала, из-д-рова, из-н-юго et иж-н-юго, бе-желѣза et беж-делѣза, и-чрѣва et иш-трѣва aliisque pro bezъ děla, vъzъ blagodatь, bezъ sъna, vъzъ kąją, jizъ koni, bezъ rala, jizъ rova, jizъ jego, bezъ železa et jizъ črěva.

Longe magis differunt linguæ slavicæ inter se modo, quo in elidendis vocalibus versantur, atque præcipue ita, ut in duas dividendæ sint classes, quarum una bulgaricam veterem cum recente et slovinica, altera autem reliquas omnes complectatur. Illæ enim his eo vel maxime præstant, quod antequam elidant, plerumque extenuare solent vocales idque bulgarica utraque in ъ et ь, slovinica autem, neglecto literarum harum discrimine, in ъ solum. Præterea inter Bulgaros recentiores et Slovinos in eadem causa hoc maxime interest, quod illi vestigiis majorum suorum non solum audacius et fortius sed etiam rectius instant quam hi. Quæ omnia ut quam aptissime et commodissime in clara luce collocari possint, vicissitudines vocalium liquidas consonantes *l* et *r* contingentium a reliquis separatim considerare oportet.

Quod jam ad earum priores attinet, in errore versatur Miklosich [134]) contendens, in sacra Slavorum lingua vetere viguisse vocales *l* et *r* vel, quod eodem redit, vocales ъ et ь, ubicunque cum antecedentibus consonantibus *l* et *r* vocabula ordirentur aut inter duas consonantes eodem ordine servato collocatæ essent, mutas fuisse ita, ut v. c. лъжица, ръвание, плънъ et чрънъ cum l-ži-ca, r-va-ni-je, pl-nъ et čr-nъ consonarent. Argumenta enim, quæ contra sententiam hanc Miklosich quoque ipse afferenda duxerat, jam Böhtlingk jure optimo pluris æstimavit quam contraria. Etenim prius illorum ex eo desumtum, quod ut est quisque codex sive cyrillicus sive glagoliticus antiquissimus, ita rarissime omittit ъ et ь post *l* et *r*, Miklosich quoque ipse tanti facit, ut se continere non possit, quin illud ipsum infirmaturus opinetur, constantem hanc scribendi rationem vel ex alienarum linguarum et literarum imitatione vel ex eo repetendam esse, quod loco ъ et ь post *l* et *r* obtusus quidam sonus olim re vera in usu fuerit. Meo autem judicio auctores utriusque alphabeti slavici eo ipso, quod lenissimis quoque vocalium pbulg. designandis prospexerunt, has a ceteris auditu longe subtilius discreverant, quam ut sine injuria iis inferenda suspicari liceat, eosdem ъ et ь, glag. Ⱏ et Ⱐ, post *l* et *r* inaniter scribere præcepisse. Quominus ita sentiam, ne minime quidem

---

[133]) Vergleich. gramm. I, 71, 72 et 211—217. Lexicon palæoslovenico-græco-lat. s. v. bezъ, vъzъ et jizъ. Adverbio „plerumque“ id præsertim significare volo, quod contra Miklosichii doctrinam de vocalibus *l* et *r* mox in medium prolaturus sum.

[134]) Lautlehre der altsloven. spr. pag. 10 et 11. Vergleich. gramm. I, 34 et 35. Glagolitisch l. l. in annot. 66 pag. 406.

impedior eo argumento, quod Miklosich e lingua sanscr. eruit et, ut statim patebit, plurimi æstimat. Hoc enim jam pridem Böhtlingk et Schleicher [135]) opitulante imprimis Boppio ita elevarunt, ut Miklosich in eo confirmando vel sustentando novissime frustra elaboret, cum dicat, колъ et ȥоръ a radicibus *kl* et *zr* plane ita ut пой à *pi* ducta esse, subjungatque, adversarios suos asseverare debere, „dass die dem Sanskrit bekannten Vocale *l* und *r* im Altslovenischen ausgestorben, später, im Neuslovenischen, wieder zum Leben erwacht seien." Quis enim quæso est, quin primo aspectu videat, subsidia hæc ita esse constituta, ac si, ut alia prætercam, grammaticorum indicorum et Miklosichii radices *klp*, *vrt*, *kr*, *kl*, *zr* et ceteræ certissimæ essent? Atqui tantum abest, ut id concedi possit, ut plurima contrarium arguant, quorum hæc duntaxat meminisse juvabit: primum radices vocum indoeuropæarum universas tam vehementer adhuc ignoramus, ut plane nihil sit, cur missis aliis Schleicheri testimonio, quod ex annot. 23 huc quoque pertinet, fidem tribuere cunctemur; deinde nemini, quod sciam, adhuc contigit argumenta, quibus artis nostræ magister, Bopp, grammaticorum indicorum radices vocalibus *l* et *r* præditas novissime quoque [136]) impugnat, refutare; postremo Miklosich ipse testatur, in optimæ quoque frugis codicibus pbulg. literas *l* et *r* ab antecedentibus consonantibus vocabulorum huc spectantium vocalibus ъ et ь sæpissime disjungi, ut in бъратн, ȥьрн et мьлѣть loco usitatiorum братн, ȥрн et млѣтъ. [137]) Ex quo etiam solo haud inepte colligi posse videtur, fuisse tempus, cum vocales ъ e ь ante *l* et *r* in allatis aliisque ejusdem generis vocibus re vera audirentur; ideoque radicibus harum minimum vocales illas exiles addicendas esse. Denique cum Miklosich quoque ipse, ut æquum est, doceat, vocales easdem sæpissime etiam in *o* augeri, concedatur necesse est, vocabula kolъ et zorъ non e kl et zr sed e kъl et zьr vocalibus ъ et ь in *o* auctis orta esse itaque argumentum ex illis iisdem desumtum plane nihil valere. Idem dicendum est etiam de horum secundo, præsertim cum a Miklosichio [138]) itidem tradatur, ъ et ь non solum post *l* et *r* sed etiam post alias consonantes in antiquissimis quibusque codicibus pbulg. sæpe desiderari. Tertium denique, quod e Slovinorum vocali *r* ductum est, habita imprimis illorum, quæ in annot. 129 leguntur et quæ mox sequentur, ratione tanti æstimo, ut de eo tacere quam quidquam amplius dicere antiquius habeam.

Quapropter supervacaneum et inutile est percunctari ex Miklosichio, quo pacto ponat *l* et *r* vocabulorum несль, мысль, вѣтръ, жтрь et aliorum, quæ eodem aut simili modo terminantur, in consonantium numero vel, quod eodem redit, quî fiat, ut in hac re tractanda ne sibi quidem ipse satis constet. Præstat statim asseverare, Bulgaros veteres a vocalibus *l* et *r* non minus abhorruisse quam posteros eorum nuper emortuos in Transilvania et superstites. Horum enim lingua profana ab antiquissima sacra hac in re teste Miklosichio ipso [139]) tantum

---

[135]) Die formenlehre der kirchenslaw. spr. pag. 50 et 51.

[136]) Vergleich. Gramm. ed. alt. I, 1, 46 et cet.

[137]) Vergleich., gramm. I, 78—82. Lexicon palæoslovenico-græco-lat. s. v. brati, drati, zrěti, mlěti, mrěti aliisque, quorum radices in Denkschriften der philosophisch-hist. Classe der k. Akad. der Wissensch. (Wien 1857. VIII, 158 et 159) enumerantur.

[138]) Lautlehre der altslov. spr. pag. 23 et 37. Vergl. gramm. I, 88 et 143.

[139]) Vergl. gramm. I, 262, 268—272 et 279. Die Sprache der Bulg. in Siebenbürgen. pag. 37. Contra in linguæ bulg. elementis, quæ eodem auctore in Slavische bibliothek (Wien 1851. I,

eo differt, quod locum vocalium ъ et ь cum *l* et *r* inter duas consonantes exprimendarum incertum reddit ita, ut ъ et ь non solum post sed etiam ante *l* et *r* sæpissime audiantur dicaturque jam пълн et чьрн jam плън et чрън, лъжицъ et ръване loco pbulg. vocabulorum, quæ supra allata sunt. In monumentis autem linguæ bulg. nuper exstinctæ loco лъ, ль, ръ et рь, si inter duas consonantes sita sunt, legitur *al*, *la*, *ol*, *ar* et *er*, ut in kalnam, slance, dolgo, bardo, karst, čerkva et cet. pro кльнѫ, слъньце, длъго, бръдо, крьстъ, цръкы.[140]) Contra Slovini eodem teste[141]) vocali *r* jam inde ab antiquissimis temporibus usque ad hanc diem æque ac Serbi et Croatæ nimium quantum delectantur, cum eâ non solum pro ръ et рь sed etiam pro *ra*, *ar*, *re*, *er* aliisque ejusdem generis syllabis linguæ pbulg. et aliarum idque tam in vocabulis incipiendis quam in mediis et, quod maximi est momenti, etiam ante vocales *u* et *o*, ortas ex *l* loco лъ, utantur, denique ne ab ea quidem producenda se abstineant. Ita fit, ut v. c. mr-u et mr-o, quæ tamen nunc plerumque mrl vel merl scribuntur, æque ac serb. мр–о pro pbulg. мрълъ duabus constent syllabis et loco ръжь, грамада vel громада, жрѣбѧ, furlan, sardela, Urbanus aliorumque dicatur rž, gr-mada, žr-be, fr-lan, sr-dela, Vr-ban. Quid vero de vocali *l* in recentiore lingua slovinica existimandum sit, hæsito, præsertim cum in illa tractanda Miklosich quoque secum ipse pugnare videatur. Simul enim atque vocalem eandem popularibus suis abjudicavit, complura affert vocabula, in quibus *l* instar vocalis hodie quoque audiatur, velut in l-gati, l-sica, plg, sl-zena aliisque pro лъгати, лисица, плоугъ, слеꙁена. Quæ quidem eo difficilius expediveris, quo disertius et planius docetur a Miklosichio: primum vocalem *l* apud Slovinos olim re vera fuisse in usu, deinde verbo l-gati pbulg. лъ-гати respondere, primam autem hujus syllabam sola vocali *l* constitisse; postremo vocalem *r* in lingua slovinica etiam loco syllabarum plenis vocalibus præditarum adhuc atque prorsus ita, ut jam supra retuli, frequentissimam esse. Quamobrem id, quod *l* vocabulorum lsica, plg et slzena syllabis *li*, *lu* et *le* originem suam debet, non obstat, quominus *l* tam in his quam in aliis

---

43—57) vulgata sunt, vocalis ь perperam negligitur (cf. annot. sequ.), *l* autem et *r* itidem in vocalium numero ponuntur.

[140]) Ceterum plura, quæ tamen, cum nunc de vocalibus tantum quasi prætereuntes agamus, enumerare nihil attinet, sunt argumento: 1) ь loco Miklosichii ъ in primo, quinto et sexto vocabulorum, quæ nunc ipsum attuli, præferendum esse; 2) inter Transilvaniæ Bulgaros et superstites in hac quoque causa (cf. ann. 97) parum interfuisse ideoque vocales plenas, quæ in linguæ illorum monumentis loco exilium leguntur, plerumque congruisse cum horum ъ et ь; 3) in errore versari eos, qui inter ъ et ь apud Bulgaros nostros nihil amplius interesse aut hoc ab illo ita differre existimant, ut Miklosich sibi persuasit, cum doceret, ъ concinere cum eadem Slovinorum semivocali, ь autem cum *e* (Vergl. gramm. I, 268). Contra ego nuper ъ ad *a* et ь ad *e* proxime accedere perhibui (Slovník naučný. V Praze 1860. I, 974), nunc vero easdem vocales anglicis *u* et *e* in but et bed, de quibus plura vide sis imprimis apud Max. Müllerum (l. l. in ann. 122 pag. 115 et 116), simillimas declaro, etsi non ignoro, *u* vocabuli but a Böhtlingkio contra Miklosichium germanico *ö* in æquo positum esse.

[141]) Vergleich. gramm. I, 224, 230—232, 240, 241 et 305. Cui tamen non solum Metelko sed etiam Janežič (l. l. in ann. 89 pag. 9 et 10) aliique plus minusve adversantur docentes, vocalem quoque *r* apud Slovinos inauditam esse.

ejusdem generis vocibus pro vocali habeatur, dummodo ceterum constet, post *l* ibidem ne ъ quidem amplius audiri. At utcunque se hæc habent, id indubium est, pbulg. лъ et ль, ubi inter duas consonantes collocata sunt, a plerisque Slovinis in *ou* vel *ov*, de quo confer annot. 89, et *u* seu more ruthenico et serbico mutari, a scriptoribus autem illorum recentioribus utrumque horum syllabâ *ol* designari. Quo fit, ut v. c. loco плънъ et влъкъ dicatur poun et vouk vel povn et vovk, pun et vuk scribaturque solum poln et volk.

Liquet igitur, pbulg. elementa лъ, ль, ръ et рь a Slovinis magis detrita esse quam a Bulgaris itaque linguam horum a sacra omnium nostrum minus defecisse quam slovinicam. Idem colligitur etiam ex alterius generis detrimentis vocalium slavicarum, quorum tamen tantum duo digna sunt, quæ hoc loco commemorem. Prius eorum in hoc cernitur, quod Slovini non solum ъ et *e* sed etiam *a* in vocalium mobilium numero habent, hoc est, jam loco pbulg. ъ et ь jam sua sponte adhibent ad tollendos eos consonantium acervos, a quibus se abstinere consueverant ita, ut v. c. pro добръ, сладъкъ, страшьнъ, тѧжькъ, вихръ, мъкнѫ, тъкнѫ aliisque ejusdem generis jam etiam more serbico dicant: dobar, sladak, strašan, težak, vihar, maknem et taknem. Contra Bulgari malunt ibidem adhuc exilibus ъ et ь quam pleno *e* uti, *a* vero vehementer aversantur, substituentes vocabulis, quæ antecedunt, hæc: добър, сладък, страшьн, тежьк vel страшен, тежек, вихър, мъкнъ et тъкнъ. [142])

Longe tamen majoris est momenti alterum horum detrimentorum, quod in eo versatur, quod Bulgari extenuandis vocalibus plenis tam diligentem operam navant, ut ne Miklosich quidem ipse se continere possit, quin fateatur, linguam illorum hac in re superiorem esse slovinicâ. [143]) Ego vero in iis præsertim, quæ mihi novissime de nasalibus vocalibus bulg. elucubrare contigerat, nixus nihil amplius dubito, quin Bulgari Slovinis, hi autem ceteris Slavis plenarum vocalium extenuandarum ratione ita plane præstent, ut eo ipso concedendum sit, recentiorem linguam bulg. cum vetere vel cum omnium nostrum sacra maximis, slovinicam autem longe artioribus propinquitatis vinculis conjunctas esse quam ceteras slavicas. [144]) Spero fore, ut id abunde pateat, dummodo plenissimarum vocalium pbulg. *a* et *ą* vicissitudines diligentius circumspexerimus rationesque subduxerimus.

---

[142]) Vergl. gramm. I, 225—227, 264, 274 et 275; III, 177 et 178. Penultimo tamen loco et III, 220—223 errore correptus est Miklosich docens, vocales ъ et ь ante bulg. articulum *t*, ut in dolъ-t et mъžь-t, ubi ceterum etiam *o* frequentissimum est, esse mobiles; eas autem bulg. vocabulorum formas, quas casus generales dicunt, magis nominativo quam accusativo convenire. Has enim prorsus nullos esse casus sed stirpes, vocales autem illas ad eas, quibus definita vocabulorum compositorum membra terminari solent, proxime accedere vel pro redivivis stirpium elementis habendas esse, jam alias (l. l. in ann. 107 pag. 236—238) paucis docui, de casibus autem acturus uberius exponam.

[143]) Vergl. gramm. I, 268. Cetera, quorum hac in causa eodem auctore mox rationem habiturus sum, nisi aliter annotavero, partim ibidem pag. 47, 48, 225, 232—239, 247, 248, 263, 268—274, 279, 286 et III, 207 partim in ejusdem disputatione: Die Sprache der Bulgaren in Siebenbürgen pag. 37 et 38 quærenda sunt.

[144]) Književnik 1865 vel II, 414—421 et 461—476, ubi pag. 419 eadem sententia aliis quidem verbis sed re ipsa spectata non minus asseveranter quam hoc loco dicitur atque imprimis contra

Itaque meminerimus ante omnia, ab optimis quibusque linguarum comparandarum magistris una voce tradi, vocales *a* et *ą*, quarum posterior originem suam plerumque syllabis *an* et *am* debet, jam a Bulgarorum majoribus ipsis sæpissime in ъ et ь detortas esse idque cum in mediis tum præcipue in terminandis vocabulis. Ut uno alterove exemplo utar, въторъ et въ jam ante hos tredecim annos duo Miklosichii adversariorum iidemque populares, nescio tamen qui sed facile primi contulerunt inter alia cum sanscr. antaras et an; [145]) porro præpositio съ, quæ in compositis vocabulis etiam tamquam сѫ et соу vel plane ita ut ѫ et оу juxta въ vigebat, missis iterum aliis sanscr. sam et sa respondet; denique extremas vocabulorum влъкъ, иѫжь ceterorumque vocales ъ et ь vicibus syllabarum sanscr. *as*, *am* et *â-nâm*

Miklosichium et Schleicherum, quorum prior, ut jam supra ad num. 3 paucis annotavi, sacram omnium nostrum linguam propinquiorem esse docet suæ slovinicæ quam bulgaricæ; alter autem eidem linguæ idem ac ego nomen dandum censet, sed de slovinica novissime quoque (Записки имп. Академіи наукъ. Санктпетербургъ 1865. Tom. VIII, num. 2, pag. 60 et sequ.) assentitur P. J. Šafaříkio, qui circiter usque ad a. 1856 contendebat, eam ad serbicam proxime accedere; ex eo tamen tempore in alia omnia discessit, quemadmodum fortasse alias pluribus dicam. Interim vide sis opus ejus l. in ann. 85 et pro comperto habeto: 1) Schleicherum et loco prius l. et in Beiträge zur vergl. sprachforschung (I, 319—327) more suo longe se amiciorem exhibuisse sibi quam rei; 2) a me discrimen, de quo agitur, jam abhinc tredecim annos magni æstimatum esse, cum „de linguæ cyrillicæ ratione cum recentioribus slavicis" ex industria idem docerem (Časopis mus. král. česk. 1855. pag. 81—105) quod occasione data in Slovník naučný (1860. I, 974) et hoc loco; 3) in Književnik pag. 420, ubi paucis rationem reddo, cur sacrum sermonem nostrum malim bulgaricum veterem appellare quam nomine ejus proprio, quod slověnьskъ est, non meo sed alieno vitio legi slověnskъ et slověnska idque inter alia etiam adversus Slovník prius allatum, ubi ь post *n* nequaquam desideratur.

[145]) Časopis česk. mus. 1852. II, 176. Quod quidem inventum amicissimus rebus nostris Schleicher tam avide arripuit, ut auctorum ne ita quidem unquam mentionem faceret (Cf. Die formenlehre der kirchenslaw. spr. pag. 180 cum Beiträge zur vergl. sprachf. I, 423 et Compendio identidem l. pag. 103), ut id a Miklosichio factum esse constat in Lexico, quo potissimum utor, s. v. vъtoryj, ubi postremo hæc leguntur: „nos olim cum Dobrovio de дкл cogitabamus, comparantes gr. δεύτερος." Vide sis ibidem etiam vъ, vą et sъ mementoque, a Boppio vъtorъ adhuc cum δεύτερος conferri (Vergl. Gramm. ed. alt. II, 31). Cave tamen putes, a me vel hunc Schleicheri errorem dedita operâ et sine idonea causa proferri. Profecto fit hoc præcipue ideo, ut minimum uno exemplo probetur, Miklosichium re vera tanto veritatis amore cognitionisque et scientiæ promovendæ studio eminere, ut supra (p. 17) scripsi, itaque me in illius laudibus nequaquam fuisse nimium. Idcirco velim etiam animadvertat lector, eos Miklosichii adversarios, quorum supra mentio fit, tantum objurgandi acerbitate præstare, ceteris autem vitiis haud parum cedere Schleichero judicanti imprimis de R. Raumeri operibus. Qua in causa confer sis illius Beiträge zur vergl. sprachf. IV, 120 et 242—247 cum hujus excusatione, quæ inscripta est: Herr Prof. Schleicher in Jena und die Urverwandtschaft der semitischen und indoeurop. Sprachen. Frankfurt a. M. 1864.

fungi, tam probe jam pridem notum est, ut verendum mihi sit, ne iis commemoratis imbrem in cribrum ingessisse vetere proverbio dicar. Non minus certum est, Bulgaros solos in negotio hoc exsequendo ita versatos esse, ut incepta patrum suorum rectissime et diligentissime continuasse existimandi sint. Miklosichio enim ipso teste illi soli non se abstinuerunt, quin vocalem *a* tantopere labefactarent, ut eâ nunc tantum aliquot nomina substantiva quotidiani usus, velut баба, башта, майка, сестра et cetera terminent; reliqua vero æque ac pronomina indefinitæ formæ post consonantes duras in ъ, post molles autem in ь loco *a* cadere sinant, dicentes v. c. брадъ, главъ, водъ, душь, мрежь, воль, тъ et cet. pro брада, глава, вода, доуша, мрѣжа, волꙗ et та. Quod vero ad nasales vocales attinet, in errore versatur Miklosich docens, *ą* a Bulgaris nostris in mediis quoque vocabulis penitus ita ut *a* extenuatum esse, *ę* autem tantum in brъnčь, pendeset et devendeset usurpari. Bulgari enim in Macedonia habitantes vocalibus iisdem hodie quoque utuntur atque propemodum ita, ut a nuper emortuis in Transilvania exprimi solebant, v. c. in мѫнчеше, рѫнка, ченда, посвенщеніе aliisque.[146]) Sed neutros eorum se abstinuisse, quin *a* et *ą* sæpissime in ъ et ь mutarent, imprimis Miklosich facile tandem concedet. Contra Slovini eodem teste nasalibus vocalibus *ą* et *ę* jam inde ab antiquissimis temporibus plerumque puras *o*, *u* et *e*, syllabas autem *an*, *on*, *un* et *en* rarissime substituere solent. Ex quo haud inepte colligitur, Slovinos jam sæculo IX hac quoque re multum cessisse Bulgaris. Inferiores sunt illi his etiam in eo, quod vocalem *a* in terminandis vocabulis ne minime quidem aversantur. Ceteris denique Slavis Slovini hoc vel maxime præstant, quod præter *i* et *u* etiam alias vocales tam libenter extenuant in ъ, ut vix sit, cur obloquamur Sreznevskijo testanti, apud eos haud esse inauditas sententias, quæ præter ъ nullam aliam vocalem contineant, velut: kъ sъm vъrv vъ vъrt vъrgъ, sъm sъ tъrdъ tъrn vъ pъrst vdъrl,[147]) quæ tamen suasore Janežičio aliisque ita scribenda est: ko sem verv v vert vergel, sem si terdi tern v perst vderl.

His conformiter statuendum est, a Bulgaris plenas vocales, antequam eliderentur, plerumque in ъ et ь extenuatas esse itaque evenisse, ut v. c. casus pbulg. дола, мѫжа, долоу, мѫжоу, долы, мѫжꙗ et ceteri prius mutarentur missis aliis in долъ et мъжь, de quibus ceterum vide sis ann. 142, quam in дол et мъж. Similiter колико, кѫколица, сѫбота, вѣровахъ aliaque Bulgari prius detorserunt in колько, къкълицъ, събътъ et вѣрътвах quam in колко, къклицъ, събтъ et вѣрвах. Idem dicendum est etiam de Slovinis, illo tantum discrimine interposito, quod hi jam diu solo ъ more ceterum suo proprio utuntur. Quapropter existimandum est, v. c. srmaštvo, quod teste Miklosichio apud Slovinos Hungariam incolentes pro reliquorum sirma-

---

146) Quæ in Književnik, quem jam identidem commemoravi, afferuntur et explanantur quibusve adde канкаль pro кѫколь apud Verkovićium (Народне песме македонски Бугара. У Београду 1860. pag. 367) et ярембице pro ꙗрѧбица apud Const. Miladinovum (Бѫлгарски народни пѣсни. Въ Загребъ 1861. pag. 387). Quod vero ad pbulg. vocales nasales attinet, operæ pretium est meminisse Momčilovi, quo teste sacerdotes, qui in patria ejus urbe Jelena, quæ in regione Bulgariæ tъrnovensi jacet, muneris sui partibus fungi non pridem desierunt, literas ѫ et ѧ instar syllabarum ъn et en exprimere consuevisse (Сборникъ отъ образци за изученье-то на старобълг. юзыкъ по сичко-то му развитію. Віена 1865. pag. 13).

147) Журналъ министерства народн. просвѣщенія. Санктпетербургъ 1845. Октябрь. II, 154.

štvo et siromaštvo re vera viget, proxime et secundum sъrъmaštvo exstitisse; e sirmaštvo autem comparato ad siromaštvo et сиромашьство, quod tamen in pbulg. linguæ monumentis nondum lectum est, vocalem *o* non evanuisse simpliciter sed ita, ut prius in ъ mutaretur. Simili ratione censeo, věro jeti pro вѣрѫ ѩти prius mutatum esse in věrъ jeti quam in verjeti, porro věrujem pro вѣроуѭ prius in věrъjem atque prorsus ita ut вароуѭ in varъjem quam in věrjem, denique missis aliis razumem et studenec pro разоумѣѭ et стоуденьць prius in razъmem et stъdenec quam in razmem et zdenec.

Longe aliter se habent res hæ apud reliquos Slavos. Serbi enim in Monte nigro habitantes eorumque confines maritimi teste Vuko Stef. Karadžićio, quem Miklosich sequendum duxit,[148]) utuntur quidem semivocali ъ atque potissimum pro ceterorum et Croatarum *a* mobili, cum loco vocabulorum, quæ supra allata sunt, добър, сладък, страшън, тежък, вихър, мъкнем et тъкнем dicere soleant; sed ab *a* et aliis vocalibus plenis more bulg. vel slovin. elidendis prorsus se abstinent. Cave igitur putes, vel apud eos v. c. кад, тад, каква, таква, памтити, бјен et пјан e када, тада, какова, такова, паметити, бијен et пијан proxime et secundum кадъ, тадъ, какъва, такъва, памътити, бъјен et пъјан exstitisse. Præterea velim animadvertas, vocalem *e* loco pbulg. ъ et ь in universa lingua serb. et croat. tam raram esse, ut præter meni et pravedan pro мънѣ et правьдьнъ alia vocabula huc vix ac ne vix quidem recte referantur.[149]) Denique pro comperto habeto, Serbos et Croatas plenis vocalibus universis longe magis pepercisse et a mobilibus movendis vel, quod par est, supprimendis diligentius se abstinere quam ceteros Slavos itaque consonantes illorum multo rarius et lenius inter se collidi quam horum. Quod autem ad nasales vocales attinet, priori earum Serbi æque ac Croatæ *u*, alteri vero illi *e* solum, hi autem etiam *a* substituere solent.

Poloni, ut in vulgus notum est, nasalibus vocalibus longe quidem præstant adhuc inter omnes Slavos, sed exilium ъ et ь prorsus sunt expertes, mobilibus autem proxime accedunt ad Bohemos. Hi enim demto eo *u*, de quo mox pluribus, solo *e* eoque duro contenti sunt; illis vero etiam molle *e* vel *ie* arridet atque ita, ut plerumque congruat cum russ. *e*, durum autem itidem cum *o*, ut in dzień, ojciec, osiem, piątek, vątek et vęzeł, quibus respondent pbulg. дьнь, отьць, осмь, пѧтъкъ, ѫтъкъ et ѫзлъ; boh. den, otec, osm, pátek, outek et uzel; russ. день, отецъ, восемь, пятокъ et узолъ. Ruthenorum *e* mobile æque ac *o* durum est. Populares mei præter *e* mobile, quod plerumque molle est ut apud Russos, utuntur etiam duro *o* et *a* jam duro jam molli, hoc tamen longe rarius quam Sorbi, qui in Lusatia inferiore habi-

---

[148]) Vergl. gramm. I. 305 et 306. Cetera, quibus hæc et proxima descriptio nititur, nisi aliter annotavero, partim ibidem a pag. 303—308, 348—350, 378—381, 383, 384, 417, 418, 453—457, 487, 488 et 503 partim in disputatione, quam in annotatione 144 ad num. 2 primam commemoravi, quærenda sunt.

[149]) Atque imprimis a Jagićio (l. l. in ann. 50 pag. 25) et Paccio (Slovnica jezika Hrvatskoga ili Srbskoga. U Zagrebu 1860. I, 12). Ceterum prior eorum ibidem et pag. 24, ut æquum est, probat, mani et pravadan olim re vera viguisse. De menom tamen et stegno meminerit, illud apud Daničićium (Облици српскога језика. У Биограду 1863. pag. 28 et 29) non reperiri, hoc autem in optimæ quoque frugis codicibus pbulg. plerumque per *e* loco ь scriptum esse, ut e Miklosichii Lexico iterum edito satis patet.

tant. His autem cum eorum proximis praeter *o* et *e* etiam *y* mobile commune est idque in sedym et vosym, quibus vulgi boh. propria sedum et vosum pro pbulg. сєдмь et осмь simillima sunt. Pro ѥсмь et pboh. jesum inferiores Sorbi cum Slovacis dicunt som, superiores autem sym. Hi praeferunt *y* etiam vocali *u* æque ac Slovini *i* suo *o* pro pbulg. *ą* in II classis verbis, ut hinyć — giniti pro hinuć — ginoti et гынѫти; pbulgarico denique *ę* apud illos non solum *e* ut apud hos sed etiam *a* et *o* respondent. Contra Lusatæ inferiores cum Serbis loco *ą* et *ę* solis *u* et *e* contenti sunt. Apud Russos et Ruthenos pro *ą* pariter *u*, pro *ę* vero præter id, cui jam apud Bulgarorum majores post consonantes duras *y* respondet, jam *a* jam я viget. Populares mei hac quoque re propius accedunt ad Russos quam ad Bohemos, cum ab illis tantum eo differant, quod loco *ę* etiam obtuso quodam *a*, quod per *ä* scribitur, post labiales consonantes utuntur et quod tam hoc quam plenum *a* et *u* producere quoque solent atque ita, ut huic plerumque *ú*, raro *ou*, illis autem *ia* respondeat. Inter Bohemos denique et Slovacos in eadem causa hoc maxime interest, quod illi *u*, *ú* et *ou* loco *ą* tantum post consonantes duras incolumia servant, post molles plerumque cum *i* et *í*, *a* vero æque ac *á* et *ia* loco *ę* etiam ante easdem consonantes itidem cum *e*, *ě* et *í* commutare consueverant, dicentes v. c. duši, duší, maži, maží, devět, devíti, devátý, žíti, žat, žetí et cet. pro nostris dušu, dušou vel more pboh. dušú, mažem, mažú, deväť, deviati, deviaty, žať, žat et žatie; russ. душ-у, -ею, маж-у, -утъ, девят-ь, -и, -ый, жат-ь, -ъ et -ie, pbulg. доуш-ѫ, -єѭ, маж-ѫ, -ѫть, дєвѧт-ь, -и, -ый, жѧт-и, -ъ, -иѥ.

Elementa лъ, ль, ръ et рь reliquæ linguæ nostræ ita permutarunt, ut in duas dividendæ sint classes, quarum una serbicam, croaticam, bohemicam et slovenicam vel slovacicam, altera autem russicam, ruthenicam, polonicam et sorbicam complectitur. Illæ enim his hac in causa eo vel maxime præstant, quod vocalibus quoque *l* et *r* generatim plus minusve delectantur. Per singulas autem species res hæc, ut paucis dicam, ita se habet.

Croatis et Serbis vocalis *r* re vera tam valde arridet, ut jam supra (p. 52) quasi præteriens attigi, cum eâ vocabula quidem nunquam terminent, ceterum autem longe libentius utantur quam Bohemi et populares mei. Hi enim, ut mox magis patebit, vocabula a vocali *r* nunquam incipiunt, illi vero persæpe, neque tamen se abstinent, quin eidem itidem *h* præfigant. Quo fit, ut v. c. pro ръвати, ръѕати, ръжда, ръжь aliisque r-va-ti, r-za-ti, r-dja, rž vel hr-va-ti, hr-za-ti, hr-dja, hrž et raž dicant. In mediis vocabulis ante et post *r* apud Serbos et Croatas non solum ъ et ь sed etiam plenæ vocales persæpe penitus obmutuerunt, ut in ostrvo, mrnar, trpeza, Grgur et cet. pro острово, marinaro, τράπεζα, Gregorius. Præterea Serbi imprimis vocali *r* non solum ante *o* ortum, ut mox pluribus dicam, ex лъ et ль sed etiam ante alias vocales, quæ cum *r* plerumque eliso *h* pro pbulg. х concurrunt, libenter utuntur. Ita fit, ut v. c. гр-о-це, кр-а-ње et че-тр-ест pro гръльцє, kr-han-je et če-tr-de-set trinis exprimant syllabis, тр-о autem et мр-е pro тръхъ et mr-he binis. Contra vocalis *r* vocabulorum, quæ prima commemoravi, nec a Croatis tollitur e medio compositione illorum cum aliis in vocales cadentibus. Quapropter v. c. za-rzati non tribus sed quatuor constat syllabis, quæ sunt: za-r-za-ti. Certissimum denique est, Serbos æque ac Croatas longo quoque *r* delectari, ut in krv et trn pro кръвь et тръиъ. Qua quidem re pares habent populares meos et, si Miklosichio fidem habere vis, etiam Slovinos. Contra vocali *l* pro лъ et ль, ubi inter duas consonantes sita sunt, tantum Croatæ insulani

certe utuntur. [150]) Reliqui cum Serbis ibidem *u* potius habent quam *o* vel *ô*, quorum sonum proprium Pacel, præter quem nullum alium testem in hanc rem citare possum, describere prætermisit. Olim eodem loco etiam *uo* certe erat in usu. In diplomate enim, quod Ragusii a. 1332, 23 octobris datum est, diserte legimus: дʌожань (bis), дʌога, дʌогомь et Вʌокаснкь [151]) pro usitatioribus nunc dužan, duga, dugom et Vukasić ac pro pbulg. длъжьнъ, длъга, длъгомь et Влъкасништь. Ceterum censeo, *u* loco *uo* vel diphthongi vel hiatus tollendi causâ in usum venisse idque demta quantitate prorsus ita ut apud Bohemos *ů*, quod instar longi *ú* exprimitur sed brevi *o* respondet, pro pboh. et sloven. *uo*, v. c. in kůň et nůž pro kuoň et nuož. [152]) Denique in locum лъ et ль, ubi vocabula incipiunt, Serbi et Croatæ plerumque substituunt *la*, ut in lagak pro льгъкъ, lagati—лъгати, lana—льна, lava—льва, lavica—львица aliisque præter ožica—лъжица, quod tamen etiam lažica et žlica dicitur.

Bohemi et Slovaci literas *l* et *r* ibidem vel instar consonantium exprimunt vel suis quisque vocalibus mobilibus instruunt. Populares mei in hoc negotio exsequendo non solum mobili *a* sed etiam eo propius accedunt ad Croatas et Serbos, quod vocali *r* horum sæpius præfigunt *h* et contra vocales mobiles longe rarius elidunt quam Bohemi, denique majoribus quoque Bulgarorum nonnihil præstant eo, quod loco лъ et ръ etiam pristinas syllabas *lu*, *ru* et *ly* adhuc servant. Ita fit, ut vocabulis, quæ ex lingua pbulg. et serbo-croatica supra prima et postrema allata sunt, apud nos hæc respondeant: rvať et ruvať (cf. ru-no, lat. e-ru-ere et cet.), rzať et hr-zať, rdza et hr-dza, rož et raž, l̆ahký, lhať et luhať (cf. goth. liug-an), l̆anu, leva, levica, lyžica et lyžka, apud Bohemos autem: rvá-ti, rzá-ti et hr-zati, [153]) rez, rež, lehký, lhá-ti, lnu, lva (nom. len et lev), lví-ce, lží-ce. In mediis vocabulis vocales *l* et *r* nobis longe magis arrident quam Bohemis, utpote qui priori earum sæpissime *lu*, raro *lou* et *le*, alteri autem *ře* substituant et *ř* suum proprium nunquam instar vocalis exprimant, dicentes v. c. dluh, dlouhý, slunce, sloup, tlustý, žluč, blecha, krev, křest, třesť, gen. křtu, tři et cet. pro nostris: dlh, dlhý, slnce, stlp, tlstý, žlč, blcha, krv, krst, trsť, kr-stu, tr-sti; pbulg. длъгъ, длъгыи, слъньце, стлъпъ et cet. Præterea nos cum Indis aliisque gentibus vocales *l* et *r* etiam producere consuevimus, ut in gen. plur. fem. et neutris vln, žln, srn, zrn et cet. Cujus rei Bohemi nunc prorsus expertes sunt, sed sæculo XVI vix erant, quoniam apud Joann. Blahoslavum [154]) inter alia hæc quoque leguntur: „Ano i ta někdy divoká jiným jazykům slova

---

[150]) Ut præter Jagićium (l. modo l. p. 23) et Pacelium (p. 25) J. Danilo quoque (Programma dell i. r. ginnasio in Zara 1856. pag. 7 et sequ.) testatur.

[151]) Monumenta serbica spectantia historiam Serbiæ Bosnæ Ragusii ed. Fr. Miklosich Viennæ 1858. pag. 101 et 102.

[152]) Qua de re vide sis plura apud P. J. Šafaříkium (Počátkové staročeské mluvnice. V Praze 1845. pag. 21) vel apud me (Zvukosloví pag. 13 et Srovnávací mluvnice p. 118).

[153]) Quod tamen, nisi fallor, penitus jam obsolevit, olim autem prorsus ita conjugari solebat ut vicibus ejus fungens řehtati. Perperam igitur tribuitur illi *ž* etiam loco *t* hujus a J. Jungmanno (Slovník česko-něm. s. v.) et missis aliis in Výbor z literatury české (V Praze 1845. I, 1109 et 1221), ubi lex quoque metrica, ut fere fieri solet, negligitur, cum l. priore versus 31 et 32 ita legantur: „Nejeden tu komoň hržal, svú podkovú cest potvrzal."

[154]) Musica, to jest knížka zpěvákům náležité zprávy v sobě zavírající. Denuo edita in insula

jednosyllabná, bezvokalní také jednák dlouhá jednák krátká bývají, jako: vrch, vrz, vlk, plch, mrch, koliks vrší, na vrch, za vrch.“ Contra certissimum est, Bohemos ejusdem ætatis vocalibus *l* et *r* in extremis quoque vocabulorum syllabis usos esse, Slovacos vero ab iisdem hodie quoque abhorrere, cum v. c. pro boh. my-sl et ví-tr interpositis mobilibus *e* et *o* dicant my-sel' et vie-tor. Pariter constat, poëtas boh. sæculo XVI et XVII nequaquam se abstinuisse, quin vocales *l* et *r* in extremis æque ac in mediis syllabis metri causâ pro consonantibus haberent. Blahoslav enim l. l. vocabula lo-tr et smy-sl in bisyllaborum du-še, pi-vo aliorumque numero disertissime refert et habita licentiæ, quam ultimam commemoravi, ratione itidem testatur, syllabas eâ contractas unco infra apposito, ut in setrvání et vynikl, insigniri ac in longis poni. Idem testatur identidem Laur. Benedictus Nudožerinus, popularis meus idemque grammaticus boh. omnium, qui ante J. Dobrovskýum floruerant, subtilissimus.[155]) Compertum denique est, et Blahoslavum et Nudožerinum licentiâ illa sæpissime usos esse. [156]) Quod

Hortensi a. 1569. fol. 90 v. et 91. Prima rarissimi libri ejus editio certe Olomucii 1558 adornata est, sed adhuc latet. Similiter nondum patet, quid sibi velint verba „in insula Hortensi“ et „ex horto“ (fol. 44 v.). Ign. Hradil et J. Jireček, qui ultimam Musicæ partem, h. e. fol. 71—96 tertii ediderunt (Jana Blahoslava grammatika česká dokonaná l. 1571. Ve Vídni 1857. pag. 353—376) opinantur, illis Ostrov significari. Contra Jireček paullo post eadam illa Evančice interpretatur (l. l. in ann. 156 pag. IV et Rozpravy z oboru historie, filologie a literatury. Ve Vídni 1860. I, 11 et 19). Ceterum ea, quibus supra reficta archetypi scribendi ratione utor, in postrema editione pag. 371 leguntur.

[155]) Quemadmodum jam alias (Srovnáv. mluvn. jaz. česk. a slovensk. pag. XIV et XV) non solum J. Jungmanni (Historie literatury české. V Praze 1849. p. 129), sed etiam Dobrovskýi ipsius (Lehrgebäude der böhm. Spr. Prag 1819. pag. VII) testimonio et aliter probavi. Juvabit igitur hæc duntaxat Nudožerini verba ipsa super ea, de qua agitur, re ascripsisse: „Fit etiam, inquit ille, syncope in cantilenis, quando duæ syllabæ in unam contrahuntur tali nota ‿, ut mysl pro my-sl. Deinde detractatione a fine, quæ apocope dicitur, ut přiřek pro přiřekl, skrz pro skrze, dávat pro dávati“ (Grammaticæ bohemicæ, ad leges naturalis methodi conformatæ et notis numerisque illustratæ ac distinctæ, libri duo. Pragæ 1603. fol. 7. v.) „Syllaba brevis est primo e vocali brevi ..... deinde e semivocalibus *r* vel *l* vel *m*, cum vice vocalis ad constituendam syllabam usurpantur, ut in trvám, řekl, sedm.“ Denique „Errata benevolus lector per se facile corriget, in quibus hoc generaliter admoneo, sæpe duas syllabas contrahendas esse in unam, ut řekl, mohl; item duæ primæ in sedmdesát, osmdesát et aliæ quædam, quod a typographo inopia symboli, quo contrahendæ erant, præteritum est“ (Aliquot psalmorum Davidicorum paraphrasis rhythmico-metrica, lyrico carmine ad imitationem Latinorum nunc primum attentata. Item oda istis temporibus congrua. Žalmové někteří v písně české na spůsob veršů latinských v nově uvedeni a vydáni. Pragæ 1606. fol. 3 et 23 v.)

[156]) Časoměrné překlady žalmův br. Jana Amosa Komenského, pak br. Jana Blahoslava, kn. Matouše Philonoma Benešovského a m. Vavřince Benedikta Nudožerského. Spolu s historickou zprávou o prosodii časoměrné vydal J. Jireček. Ve Vídni 1861. pag. 1, 3, 4, 6, 7, 63, 64 et cet. Ibidem p. IX et XIII leguntur etiam ea, quæ e Nudožerini paraphrasi, ubi prosodiæ boh. præcepta brevi in conspectu ponuntur, in priore annotatione allata sunt.

quidem Fr. Sušilo, viro de recentissima poëtica boh. imprimis meritissimo, tam parum arridet, ut ob id ipsum priores illos prosodiæ boh. magistros eorumque sectatores perversæ Germanorum imitationis arguat. [157]) At perperam id fieri, nemo non facile concedet, qui missis aliis hoc solum meminerit expenderitque, antiquissimos quosque poëtas boh. licentiam eandem persæpe sibi sumsisse. [158]) Contra collaudandus est Sušil ideo, quod nec horum nec illorum vestigia premit. Bohemi enim nostri certe malunt vocalem *l* penitus elidere, ut in jabko, moh, pek et cet. pro ja-bl-ko, mo-hl et pe-kl, quam in consonantibus more priorum poëtarum suorum ponere; vocali autem *r* in mediis æque ac in extremis vocum syllabis libentissime utuntur, cum eam, quod sciam, nec elidant unquam nec pro consonante habeant, deinde in locum ejus longe rarius substituant *ře* quam *lu*, *lou* et *le* pro *l*, postremo illam ipsam etiam loco syllabarum plenis vocalibus præditarum interdum usurpent, ut in Postoloprty, quod ex Apostolorum porta exstitisse, indubium est. [159]) Accedit, quod in libellis, quibus prima literarum

[157]) Anthologie z Ovidia, Katulla, Propertia a Muséa. V Brně 1860. pag. X—XIV.

[158]) Quod ego primus quidem sed anno 1858 demum vidi et in scholis tradidi, V. Nebeský autem (Časopis mus. král. čes. 1859. pag. 204) et J. Jíreček missis aliis in Světozor (Příloha ke Slovenským novinám 1359. pag. 270) imprimis contra M. Büdingerum tanta exemplorum copiâ atque ita probarunt, ut difficillimum sit dictu, cur eorum Sušil l. prius l. plane nullam habeat rationem, præsertim cum constet, eum de pboh. carminibus, quæ Aulæ reginæ (Králové dvůr, germ. Königinhof) a. 1817 detecta sunt quæve v. c. *krvi* sine dubio in monosyllabis, *jablko* autem in bisyllabis ponunt (Výbor z literatury české. I, 52 et 54), idem sentire nobiscum. Ceterum habita ratione vel eorum, quæ a me hac in causa omnium nostrum sacra identidem atque potissimum in Časopis mus. král. česk. ab a. 1858—1860 in medium prolata sunt, nisi officio et dignitati meæ deesse velim, prætermittere non possum, quin Miklosichium provocem, ut tandem aliquando reddat rationes suspicionis, in quam carmina illa abhinc quinque annos vocavit (Die Bildung der slav. Personennamen. Besonders abgedruckt aus dem X. B. der Denkschriften der philosophisch-hist. Cl. der k. Akad. der Wiss. in Wien 1860. p. 118), aut eam irritam esse jubeat atque eo alacrius, quo æquius est, ut concedat, primum se in iis ipsis rebus, quæ huc referuntur, persæpe gravissime lapsum esse, ut jam missis aliis J. Jireček in operis l. censura satis superque demonstravit (Světozor 1860. p. 132—135), deinde imprimis ab isto et fratre ejus Hermenegildo acerbas Büdingeri, Fejfalikii aliorumque cavillationes de iisdem carminibus tam laudabiliter retortas esse (Die Echtheit der Königinhofer Handschrift. Kritisch nachgewiesen. Prag 1862. Pag. 127 paucis repetuntur ea, quæ l. prius l. contra Miklosichium fusius dicta sunt), ut Kunik, judex controversiarum harum certe et justus et peritus, existimet, a Miklosichio Büdingerum et Fejfalikium de cautione adhibenda monendos fuisse, cum dicat: „Миклошичь, судя по нѣкоторымъ намекамъ въ сочиненіяхъ Бюдингера и Фейфалика также, кажется, не поощрялъ ихъ къ осторожности“ (Записки имп. Акад. наукъ. 1862. II, 14). Neque me decet reticere, Schleicherum hac in causa Miklosichii auctoritati a. 1861 ita paruisse (Beiträge zur vergl. sprachf. II, 482), ut ad eum optimo jure referri possit hoc Phædri dictum: „Verbis jactans gloriam ignotos fallit, notis est derisui.“

[159]) Regesta diplomatica nec non epistolaria Bohemiæ et Moraviæ. Opera C. J. Erben. Pragæ 1855. I, 770.

boh. elementa traduntur, *l* et *r*, ubi cum aliis consonantibus antecedentibus vocabula terminant, ut in my-sl, ví-tr, mo-hl, mi-str et ceteris, constanter pro vocalibus habentur. [160]) Liquet igitur, contrariam Miklosichii sententiam, cujus argumentum e lingua pol. desumtum idemque unicum est, contemnendam esse. Illa autem, quam in extrema annot. 132 attigi et qua Bohemis popularibusque meis vocales *l* et *r* universæ abjudicantur, solo Sreznevskiji auditu nititur et præsertim ideo repudianda est, quod liquidarum consonantium indolem [161]) prorsus negligit. Ceterum plura, quibus tamen explanandis nunc supersedere debeo, sunt argumento, vocales *l* et *r* apud Bohemos inferiores esse ætate quam antiquissima linguæ eorum documenta originemque suam simplici plenarum vocalium elisioni debere. [162])

Reliqui Slavi generatim malunt adhuc plenas vocales in vicem exilium ъ et ь post *l* et *r* sitarum substituere quam consonantes has cum aliis nulla vocali intercedente conjungere, singillatim autem Russi et Rutheni hac re Polonis et Sorbis ita præstant, ut eo ipso concedendum sit, consonantes illorum longe lenius inter se collidi quam horum.

Russi enim vocalibus ъ et ь elementorum лъ, ръ, ль et рь, ubi inter duas consonantes sita sunt, *e* et *o* substituere vix unquam negligunt, dicentes v. c. блевать, гремѣть, крестить, крови, кровавый, тревога et cet. pro pol. blwać, grzmiéć, chrzcić, krwi, krwawy et trwoga, quorum tantum duo postrema binis, reliqua contra singulis constant syllabis. Probabile enim est, бодрствовать, мудрствовать et alia ejusdem generis vocabula, quorum Miklosich nullam habuit rationem, in linguam russ. e pbulg. repudiato patrio loquendi more translata esse eaque vocali *e* loco ь, h. e. post *r* instruenda fuisse. Вильчура autem et гарнецъ, quæ polonicæ sunt originis et formæ, in волчура et горнець vel potius горнец mutanda erant, præsertim cum Russi hac in causa solis *e* et *o* utantur et *l* in волкъ pro влъкъ et pol. wilk durum sit. [163]) Ceterum *el*, *er*, *ol* et *or* in mediis vocabulis russ. longe sunt frequentiora quam *le*, *re*, *lo* et *ro* pro лъ, ль, ръ et рь, ut in желна, желтый, держать, мерзнуть, перстъ, серна, зерно, долгъ, молвить, полкъ, полный, солнце, столбъ, гордъ, горло, корчма, морковь et cet. contra: плевать, слеза, стремя, блоха, яблоко, бровь, кротъ, трость et cet. Quod quidem haud inepte cohæret cum eo, quod Russi vocabula a consonantium acervis *bl*, *br*, *dl*, *dr*, *skl*, *skr*, *skvr* et ceteris, ut mox magis patebit, inviti incipiunt. Contra *lb*, *rb*, *ld*, *rd* et ceteros in eodem negotio exsequendo nequaquam aversantur, dicentes v. c. лгать, льна, льва (nom. ленъ, левъ), львица, рвать, ржать, ржа, лжи, ржи (nom. ложь, рожь) et cet.

Rutheni autem et his et aliis acervis, qui plerumque exilium vocalium ъ et ь nec non mobilium *e* et *o* elisione oriuntur, libenter præfigunt *i*, ut in ильва, ильняный, иржа, ирцы (рьцн), испас (съпасъ) et cet. Præterea Rutheni, qui Hungariam incolunt, teste Holovackijo, cui Mi-

---

160) Slabikář a první čítanka pro kat. školy. V Praze 1854. pag. 17 et 18.

161) Quæ a Smithio (l. l. in 20 ann. I, 43) ita descripta est: „Literarum liquidarum hoc omnino est peculiare, quod vox humana in iis tanquam in vocalibus subsistere et temporis aliquod momentum quiescere potest. Quod quum ad omnes literas liquidas pertineat, in *l* et *r* inprimis perspicitur, quæ si cum vocali inter duas consonantes collocatæ sunt, tantopere sonando prævalent, ut vocalem non modo mutam verum etiam locum ejus incertum reddant."

162) Interim confer sis mei Zvukosloví pag. 63 et 64 cum iis, quæ in eadem causa hic sequuntur.

163) Alia argumenta jam supra ad num. 132 et l. l. in 47 annot. pag. 137 attuli.

klosich assentiri videtur, vocali quoque *r* utuntur in mediis vocabulis, velut др-ва, кр-ты-ця, кр-ва-вый et хр-сты-ты pro ceterorum дрова. кротыця, кровавый et хрестыты. Apud illos viget etiam лыжка, cui hi cum Russis ложка (лъжица) præferunt, etsi syllabæ *ly* pro лъ prorsus expertes haud sunt, cum v. c. одлыга et одлыгнуты, quorum radix влъг est, dicant. Denique inter Rusinos et Russos hac in re id maxime interest, primum quod illi durum *l* horum in extremis syllabis et vocabulis plerumque instar *u* vel, ut alii putant, instar *v* exprimunt et interdum etiam elidunt, ut in мовыты, сонце,[164]) срибный, вогкый et зовыця pro млъвити, слъньце, сребрьный, влъгъкый et ꙁлъва; deinde quod Rusini hoc quoque *o* interdum more suo proprio jam cum *i* jam cum aliis vocalibus commutant, ut in гирло, хирт et пиук vel пивк, juxta quæ tamen etiam горло, хорт et поук vel повк pro гръло, хрътъ et плъкъ sunt in usu.

Poloni vocalium varietate in eadem causa etiam Ruthenis præstant, cum pro лъ, ль, ръ et рь non solum syllabis *eł*, *łe*, *er*, *re*, *oł*, *ło*, *or*, *il* et *ły* sed etiam *ła*, *łu*, *ar* et *ur* utantur, demto tamen vocabulorum exitu, de quo mox pluribus. De reliquo etiam hoc loco id solum commemorandum censeo, syllabas *ła*, *ły*, *or* et *ur* longe rarius audiri quam reliquas atque, nisi fallor, tantum in kłak, łyžka, korczak (кръчаг-а et -ъ), kurcz et aliis, quæ ab iisdem radicibus ducta sunt.

Sorbi inferiores hac re propius accedunt ad Polonos quam superiores. Hi enim, ut alia prætercam, *or* pro illorum *ar* usurpant, dicentes v. c. borłoh, čorny, hordlo, korčma et cet. pro illorum barłog, carny, giardlo, kiarcma et pro pol. barłog, czarny, gardło, karczma. Ab *l* autem et *r* inter duas consonantes nulla vocali intercedente exprimendis Sorbi utrique longe diligentius se abstinent quam Poloni, utpote cum duro *l*, quod etsi plerumque in *v* degeneravit, tamen more pol. literâ *ł* designatur, ibidem vix unquam utantur, molli autem *l* et duro *r* multo parcius quam molli *ř*, quod ceterum a sibilantibus *š*, *ś* et *s* admodum parum differt et apud inferiores Sorbos duro quoque *r* post consonantes *k*, *t*, *p* plerumque successit, hoc est, demto *o* syllabæ *ro* pro pbulg. *ra* et russ. *oro*, ante omnes reliquas vocales. Ut rem hanc a Miklosichio neglectam uno alterove exemplo illustrem, adjicio, apud utrosque Lusatas pcha vigere pro pbulg. блъха et pol. pchła, cujus *ł* tantum in gen. plur. vulgi pol. proprio płech adhuc locum obtinet. In blał contra, quod teste Pfulo [165]) apud Sorbos superiores certe est in usu, et in kravy æque ac in inferiorum proprio křavy vel kšavy, comparatis ad pbulg. бльвалъ et кръвавый, pol. blwał et krwawy, *v* post *l* et *r* ac *ř* elisum est. Molle *l* eodem teste viget in myslny, *r* in jadrny aliisque; in jutny vero, jutnica, chćić et cet. pro jutrny, jutrnica et chřćić desunt *r* et *ř*. In gen. sing. krvje, cui sorb. inf. křvej respondet, servatur quidem adhuc *v* sed nequaquam constanter, cum etiam kreje et křej sint in usu.

---

[164]) Teste Osadca (l. l. in 49 ann. pag. 31) etiam соньце, quocum confer pol. słońce, est in usu. Quo autem pacto legatur ibidem ѣ pro *u*, h. e. *ě* pro *i* in срѣбло et срѣбный doceaturque adjectivo horum nominum non *l* sed *r* deesse, haud intelligo, præsertim cum Rutheni certe sriblo pro pbulg. srebro dicant, Russi autem, quorum scribendi rationem Osadca in sua constituenda diligentius respicit quam indolem linguæ ruthenicæ (cf. ann. 118), nec dicant nec scribant срѣбро sed сребро vel idque rectius серебро.

[165]) Serbski słownik. Wendisches Wörterbuch. Bautzen 1857—1865. s. v. bleć.

At nec his nec aliis vocalium consonantiumque nostrarum detrimentis quidquam impedimur, quominus repetamus (cf. pag. 48), fuisse tempus, cum præter bulgaricam reliquæ quoque linguæ slavicæ tam a vocabulis quam a syllabis in consonantes exeuntibus vehementer abhorrerent itaque compositis consonantibus suis pbulgaricæ simillimæ essent. Complura enim eaque satis perspicua rei istius adhuc supersunt indicia, quorum hæc duntaxat commemorasse juvabit:

A) Quædam recentiorum linguarum nostrarum plane nihil cedunt, aliæ autem sine dubio longe præstant pbulgaricæ studio vocabula a consonantibus *j*, *v*, *h* et *g* potius quam a puris vocalibus incipiendi. Ex quo secundum ea, quæ supra (pag. 39—44) uberius explanata sunt, nullo negotio jureque, ut puto, optimo colligitur, non solum Bulgaros sed etiam ceteros Slavos olim syllabis in vocales cadentibus collocutos esse ideoque eo tetendisse, ut consonantium acervi in mediis vocabulis apud ipsos usitati generatim insignem reliquorum similitudinem præ se ferrent, singillatim autem ne unquam e consonantibus geminatis constarent.

B) Pleraque vocabula slavica adhuc terminantur vocalibus, compositis autem consonantibus longe pauciora quam simplicibus.

Priorem harum sententiarum veram esse, satis superque patet vel e precibus a J. Christo præceptis (Matth. 6, 9—13). Si enim vocabula earum meum in modum [166]) percensueris, comperies, bulgaricas interprete Neophyto 56 constare vocabulis horumque 47 in vocales et 9 in consonantes cadere, in reliquis autem trinis numeris istis hos respondere: in serbicis V. St. Karadžićii 53, 42, 11 contra Franciscanorum Bosnensium 49, 35, 14; in slovinicis 50, 30, 20; in russicis Petropolitanis 52, 32, 20; in Londinensibus autem, quæ a quotidiano loquendi usu minus recedunt, 52, 28, 24; in polonicis Vujkii 51, 31, 20; in serbicis superioribus Frencelii 51, 30, 21 et in inferioribus Fabricii 51, 33, 18; in slovacicis Palko-

---

[166]) De quo hæc annotanda mihi videntur: 1) editiones, quibus utebar, præcipue ita sunt inscriptæ: Новый завѣтъ. Въ Смvрнѣ 1840. — Нови завјет. У Берлину 1857. — Sveto pismo novog' zakona. U Budimu 1831. — Svetu pismu noviga testamenta. Per G. Japel et Bl. Kumerdey. Labaci 1800. — Новый завѣтъ. Въ Санктпетербургѣ 1861; въ Лондонѣ 1855. — Biblia, t. j. księgi starego i nowego testamentu. W Krakowie 1599. — Nowy Testament. W Wrótslawje 1856, Barliňě 1860. — Swaté písmo starého i nowého zákona. W Ostrihome 1832. — Bible česká. W Praze 1851 et Biblj české djl I—VI a. 1579—1593. Earundem precum in ruthenicum conversarum nullum exemplar assequi poteram. 2) Eam enuntiationem, quæ doxologia dicitur non annumeravi neque dativum casum „k nam,“ quem Slovini et Sorbi superiores v. 11 habent. 3) Præpositiones a casibus, quos exigunt, disjungendas duxi, etsi hos cum illis jam apud Bulgarorum majores aptissime cohæsisse, vel ex iis, quæ supra (p. 50) allata sunt, liquet. Idem feci reflexivo pronomini, quod soli Russi cum verbis conglutinare consueverant, ut in не бось et не бойся, de quibus vide sis 35 pag. Particulam *ne* contra non separavi a verbis nec articulum bulg. a nominibus. 4) Qui numerum rei hujus diligentius inire voluerit, utatur imprimis Förstemanni disputatione, quæ inscripta est: Numerische lautverhältnisse im Griechischen, Lateinischen und Deutschen (Zeitschr. für vergl. sprachf. I, 163—179) jureque optimo magni æstimatur a Pottio quoque ipso (Etym. Forsch. ed. alt. II, 1, 21).

vičii 50, 29, 21; in bohemicis cath. 50, 26 24, in Kralicensibus contra 50, 25, 25 atque eo, quod in his „v nebesích“ pro illarum „na nebesích“ legitur.

Quod iterum ad consonantium acervos, quibus vocabula nostra finiri solent, attinet, ii generatim haud parum cedunt asperitate germanicis et in his gothicis (cf. pag. 25), singillatim autem ita se habere videntur.

Bulgarici sententiam, pro qua supra (p. 50 et sequ.) pugno, rursus haud mediocriter confirmant, cum et pauciores et leniores sint quam slovinici. Bulgari enim testibus imprimis A. et D. Kyriak-Cankovis [167]) hac in causa adhuc tam teneros se præbent, ut ne acervos quidem *st* et *zd*, quibus reliqui Slavi omnes demtis Serbis et Croatis libentissime utuntur, tolerent sed suppressis dentalibus *t* et *d* evitare soleant, ut in gos, groz, prъs et cet. pro pbulg. **гость, грозДъ, пръстъ** et **пръсть.** Iidem grammatici vix utuntur in extremis vocabulis bulg. aliis consonantium acervis ac **JN, JS, JŠ** et **HT.** Tres eorum ultimi insuper perquam ancipites sunt: nam *js* tantum in numeralibus nominibus edinajs usque dvajs, deinde in trijs et četirijs auditur atque juxta *js-e* et *js-et;* pro pijš autem et aliis ejusdem generis verbis dicitur etiam pijiš, cui Miklosich [168]) piješ præfert; denique præter veht, quod solum in *ht* cadit, est etiam vetъh et vet pro pristino **ветъхъ** in usu. Ceterum cum ab illis ipsis grammaticis inter alia etiam ea, quæ de vocalium bulg. ъ et ь cum *l* et *r* exprimendarum loco supra (p. 51 et 52) leguntur, edoceamur, sequitur, ut in extremis vocabulis bulg. acervi quoque **LK, LG, RK, RK** et ceteri plerique audiantur, velut in dъlg, gъrb, kъrv, štъrk, vъlk, vъrh, žьlt et cet. pro pbulg. **длъгъ, гръбъ, кръвь, стръкъ, влъкъ, връхъ** et **жлътъ.**

Croatæ Serbique contra ab iisdem acervis prorsus se abstinent, his solis contenti: **ST, ŠT** plašt, [169]) **ZD** grozd, **ŽD** et **JST** jedanajst usque devetnajst, ubi tamen nunc hiatum *ae* syllabæ *aj* præferunt ultimoque *t* parcere videntur, dicentes jedanaest, dvanaest et cet. Olim autem ea numeralia æque ac dvadeset, trideset et četrdeset vel dvaest, triest et četrest, quod če-tr-est legendum est (pag. 57), etiam sine *t* viguisse, satis patet e dvanes et dvaes, quæ e Gundulićii scriptis Miklosich (I, 330) profert. Sed perperam docetur ibidem, *t* tantum post *s* a ragusinis croaticisque scriptoribus sæpe supprimi, præsertim cum daž pro dažd et pbulg **дъждь** ac još pro jošt, jošte, **юште** jam apud Lucićium legantur. [170])

---

[167]) Grammatik der bulg. Sprache. Wien 1852. pag. 2, 4, 53, 54 et 155—216.

[168]) Vergl. gramm. I, 265 et III, 234. Spatii lucrandi causâ idem opus ita posthac laudaturus sum, ut satis habeam solas numerorum, ad quos attinet, notas post Miklosichii nomen uncis includere.

[169]) Hoc aliisque vocabulis ita allatis indicatur, eos consonantium acervos, ad quos referuntur, jam raros esse jam aliter memoratu dignos. Ceterum nec in his universis enumerandis a ratione, quam supra (p. 25 et 26) indicavi, unquam nisi necessario discedo.

[170]) Hanibala Lucića skladanja, pisana 1495—1525. U Zagrebu 1847. pag. 116. Stari pjesnici hrvatski od Iv. Kukuljevića Sakcinskoga. U Zagrebu 1856. I, 56. Præter triž vel triš, quo Miklosich (l. l.) solo *d* a Serbis elidi probat, in V. St. Karadzićii Lexico (iterum ed. 1852) est etiam dvaš. Meo tamen judicio utrumque eorum Serbi a Bulgaris mutuati sunt et hac in causa vocabulo daž, quod etiam Jagić (l. l. in 50 ann. pag. 87) e glag. diplomate anni 1529 protulit, ideo quoque posthabere opus est, quod in antiquissimis quibusque codicibus bu'g. non semel per *št* scriptum est: dvašti, dvaštь et cet.

Slovinis cum Croatis et Serbis communes sunt acervi **ST, ŠT, ZD** et **JST** ednajst usque devetnajst. Sed secundus eorum plerumque congruit cum plerorumque Slavorum et aliarum gentium *st*, ut in bršt et mošt, quorum prius Miklosich (I, 256) e germ. frist ortum esse docet, alteri autem cum serb. mast et missis aliis cum pbulg. мъстъ germanicum most intercessit, præsertim cum inter omnes constet, apud Slovinos *o* vicibus lenium vocalium pbulg. ъ et ь tantum ante *l* fungi (cf. p. 52 et 53). Aeque certum est, eos loco serb. et pbulg. *št* acervo **ŠČ** uti, ut in plašč, quod tamen teste Murkone [171]) etiam solo *š* et acervis **JŠ** ac **JŠČ** plaš, plajš, plajšč terminatur. Ceterum ex iis, quorum infra mentio fit, nullo negotio colligitur, literam *j* acervorum *jšč* et *jš* æque adventiciam esse ac in **JZD** pro *zd* gojzd, sub quo apud Murkonem gozd frustra quæres, sub Wald contra certe invenies. Acervo **ŽDž**, cui cum serb. et pbulg. *žd* plane eadem est ratio ac *šč* cum *št*, tantum Slovini, qui Hungariam incolunt, adhuc utuntur, dicentes v. c. deždž pro ceterorum proprio dež. Num autem apud illos etiam ježď vel, quod par est, *žď* pro pbulg. et serb. *žd* unquam audiatur, dubito, cum plura, quibus tamen explicandis supersedere debeo, sint argumento, Habdelichii *dj* a Miklosichio (I, 253) perperam in æquo positum esse puro *ď* pro *dž*. Extrinsecus pervenit *j* etiam ad *ž* acervique **JŽ** auctor exstitit in plujž, cui Murko polž et puž e libidine sola præfert. Ceterum acervi huic similes apud eos Slovinos, qui teste Miklosichio (I, 240) *ej* pro pbulg. ѣ dicere consueverant, frequentissimi sunt. **SK** et **JSK** autem omnibus magis probantur quam **ZG**, cum v. c. drozeg æque ac drozg vigeat. **ŽG** est tantum in žvižg, **SP** et **ŠŇ** in solis locorum nominibus Osp, Zasp et Krašnj;[172]) **ŽŇ** in čežnj et verisimiliter etiam in ražnj ac skožnj secundum ea, quæ de čežnj Miklosich (I, 260 et III, 193) præcepit. **HT** adjectivi žleht, quod eodem teste (III, 197) e germ. schlecht effictum est et non declinatur, adversatur etiam legi, quæ e vehet pro вѣхъть primo obtutu patet. **PT** habet Murko in šept, quod in Miklosichii Lexico s. v. шьпът-ъ et -ати deest. Ancipites sunt etiam acervi **VT** zmikavt, **VS** kmetavs, **LT** golt, **LST** tolst et ceteri ideo, quod grammatici slovinici de *v* et *l*, ut jam supra (p. 35, 52 et 53) retuli, dissentiunt inter se. At **RK** Lotmerk, **RT** Šent-rupert, **RS** vers, **RH** jerh, **RŠT** Boršt et ceteros ii quoque, quibus Miklosichii doctrina de vocali *r* probatur,

---

[171]) Deutsch-slowen. und slowenisch-deutsch. Handwörterbuch. Grätz 1833. s. v. Miklosich (I, 258 et 259) solius plajš habet rationem atque ita, ut secum ipse pugnare videatur. Priore enim loco statuere videtur, *j* in plajš ad *h*, quod in plahta exstat, ita esse referendum, ut in srajca pro srakica, srakca et sračica ad *k;* altero autem plajš disertissime planissimeque refert in numero vocabulorum ojster, ujzda et zagojzda, quibus *j* intextum sit. Sententiam hanc præferendam esse illi, satis superque patet vel ex eo, quod *š* in plajš vicibus *h* sine dubio adhuc fungitur, srajca autem proxime et secundum sračca ita exstitit, ut infra ad lit. C pluribus dicam. Hoc loco id solum adjiciendum censeo, in Miklosichii Lexico iterum edito s. v. plaštь deesse plajšč, gojzd sub gvozdь, deždj sub dъždь, drozeg et mozeg sub drozgъ et mozgъ, sub mьzgъ contra et plъžь inveniri etiam mezeg, quod a Murkone æque ac drozeg et mozeg per *i* scriptum est, et plujž.

[172]) Quæ in P. Kozleri indice: Imenik mest, tergov in krajev zapopadenih v zemljovidu slovenske deželе, edito Viennæ 1864, ordine literarum leguntur. Ibidem invenies etiam Gojzd contra Miklosichium et ea tria nomina, quæ infra pari modo grandibus literis primis distincta sunt.

concedant necesse est. Denique acervis **NK, NT, NS** dans, **MB** gumb et aliis ejusdem generis Carantani maxime delectantur ideo, quia apud eos plurima nasalium vocalium vestigia, ut supra (p. 55) attigi, supersunt.[173])

Quæ omnia paucis complexa eo redire videntur, ut existimandum sit, primum vocabula slovinica binis aut summum ternis finiri posse consonantibus, quarum prima fere semper est vel spirans *s, š, z, ž, j, h* et *v* vel liquida *l, r, m* et *n;* deinde acervos alterius generis ita esse constitutos, ut abjecta prima eorum consonante cum usitatis prioris generis congruant.

Populares mei contra etiam binis mutis certe terminant vocabula sua sed longe rarius quam Bohemi atque, nisi fallor, tantum his: **PT** et **BD** lopt-a vel lobd-a.[174]) Bohemi vero præter hos, qui v. c. in šept et chebd sunt, habent etiam **KŤ**, cum enclitico *ť*, cui nos *ti* præferimus, nimium quantum delectentur atque ita, ut illud præter jest, cujus *i* pristinum ante *ť* reviviscit (jesti-ť, cf. sanscr. asti et pbulg. jestь), cum ceteris omnibus vocabulis nulla vocali interposita conjungere soleant. Prorsus inauditi sunt apud nos etiam ii consonantium acervi, quos Bohemi alterius enclisis, quæ *ž* est nostræque et pboh. *že* respondet, usu plerumque perverso[175]) cient, ut **KŽ, CHŽ** et cet. Enclisi *s* pro *si* ortis contra, ut **KS** in taks to vykonal pro tak si to vykonal, utimur quidem etiam nos sed longe parcius quam Bohemi. At his etiam remotis ultro concedendum est, vocabula nostra multo lenius terminari quam bohemica. Hæc enim ab illis vix superantur aliis compositis consonantibus extremis ac **SC** rasc-a vel rosc-a, **ZG** rozg-a vel razg-a, **JD** pôjd pro boh. půda, **NDz** bryndz-a, **JST** ozajst,[176]) **JSŤ** ujsť et **BZD** chabzd-a pro boh. ujíti et chebd. Bohemi vero antecedunt nos his: **KČ, HČ, JČ** půjč, **JŠ** konejš,[177]) **PČ, PŠ, PŘ** pepř et vepř, **TŘ** patř, **BŘ** et **DŘ** in modř et in locorum

[173]) Ut ger-monž, mesenc, pont, venč et alia apud Miklosichium (I, 233—236) et Janežičium (l. l. in 89 ann. pag. 12 et 13) pro pbulg. grъdъ mąžь, měsęcь, pątь et vęštь. Brenk et žvenk pro brękъ et zvękъ iisdem testibus omnium Slovinorum communia sunt.

[174]) His et aliis literis infra eodem modo disjunctis, ut brevior esse possim, indico, eos consonantium acervos, ad quos attinet, in gen. pl. locum habere.

[175]) Ut jam in disputatione: O enklitickém *ž* a *ť* co důkaze přesnosti rukopisu Zelenohorského a Kralodvorského (Časop. mus. král. čes. 1860. pag. 313—320) satis superque probasse mihi persuadeo. Quæ si diligentius expenderis, spero fore, ut inter alia hæc quoque concedas, primum nihil esse, cur hoc loco acervos enclisibus ortos longius persequar; deinde linguam imprimis scriptorum boh. ceteris slavicis asperitate ita præstare, ut jam supra (p. 30) dixi et e precibus quoque a J. Christo præceptis secundum ea, quæ ibidem (p. 63 et 64) explanata sunt, colligere licet; postremo Schleicherum eam, quæ in extrema annotatione 158 legitur, reprehensionem abunde meruisse.

[176]) Quod etiam ozaj pro lat. sane et serio dicitur et jam a Jungmanno (Slovník česko-něm. s. v.) ad o-za-jisto, a Šafaříkio autem etiam ad do-za-jista relatum est (Čas. čes. mus. 1846. pag. 417).

[177]) Prior horum acervorum e *žč*, ut infra ad lit. C dicetur, ortus est; alter autem videtur esse unus ex iis, qui plebi boh. *ej* pro *ý* dicenti valde arrident et hic negliguntur. Idem fit acervo *jď* imperativorum pojď et přijď ideo, quod hi inania sunt commenta grammaticorum leviter eruditorum. Optimi magistri, Dobrovský (Lehrgeb. der böhm. Spr. Prag 1819. p. 239) et Kralicensia biblia (Gen. 19, 32; 37, 13; Matth. 6, 10; Apoc. 6, 1, 3 et cet.) tantum poď

nominibus Debř et Obodř,[178] **DM** et **SM** in sedm et osm pro vulgaribus sedum et osum (cf. p. 57), **LČ** změlč, **LŇ** posilň, **RČ** horč, **ŘČ** hořč, **RĎ** žerď pro nostro žrď et pbulg жрѣдь, denique **RK** štěrk pro nostro štrk. **LM** contra, **RŇ**, **RP**, **RB**, **RV**, **RŠ**, **RT** et **RD** audiuntur quidem etiam apud nos sed raro, v. c. in žalm pro psalmus, čerň pro чрънь, charp-a pro rectiore chrp-a, korb-a, červ pro чръвь, verš pro versus, čert, quod ad чрът referendum est, kord et cet. Eadem est ratio acervorum horum et similium etiam apud Bohemos ob ea, quæ infra de loco liquidarum *l* et *r* proprio leguntur. Quomodo autem contrarii illorum, ut *kl*, *kr*, *sl*, *sr*, *str* et ceteri, in extremis vocabulis nostris et boh. tractentur, jam supra (p. 59—61) explanavi. Restat, ut hic id solum adjiciam, nostra quoque et boh. vocabula acervis **SK**, **ST**, **SŤ**, **ŠT**, **ŠŤ**, **ZD**, **ZĎ**, **ŽD** et **ŽĎ** longe sæpius terminari quam reliquis, qui sunt: **CT**, **ČT**, **VD**, **NK** et **NČ** břink et břinč pro nostris brnk et brnč referendis ad бржк, cujus in ann. 173 mentio fit, **NT**, **ND**, **MP** kamp, **BZ** kobz-a, **JSK** vojsk-o et **MST** pomst-a.[179]

Russi vocabula sua quaternis quoque consonantibus finire consueverant et etiam aliter hac re nobis et Bohemis, Bulgaris et Slovinis nec non Croatis et Serbis ita præstant, ut operæ pretium sit acervos in extremis vocibus russ. usitatos ordine simillimo illius, qui pag. 26—33 observatur, percensere.

I^um^ igitur eorum genus etiam in octo dispertierim species, quarum

1) eos complectitur, qui liquidis *r* et *l* terminantur, ut **KR**, **GR**, **TR**, **DR**, **PR**, **PŘ**, **BR**, **HR**, **HŘ**,[180] **GL**, **PĽ**, **BL**, **BĽ**, **MĽ**, **RL**, **RĽ**, **SL**, **SĽ**, **ŠĽ** et **ZL**. At plerique acervi hi

---

et přiď probant et quidem jure optimo, cum pojď et přijď adversentur etiam usitatis najdi, zajdi et cet. Nec plurali eorundem verborum numero *j* deberi, pojďme igitur a Zikmundo (Skladba jazyka česk. V Litomyšli a v Praze 1863. p. 624) Kralicensibus magistris (Exod. 5, 8) ineptissime, ut fere fit, suppositum esse, liquet. Ceterum apud Dobrovskýum (l. l.) invenies plerosque eos imperativos, quorum supra ratio habetur quosve populares mei servato *i* evitant, dicentes v. c. obmäkči pro obměkč et cet demto posvědč, cujus *d* æque ac aliorum ejusdem generis verborum apud eos quoque mutum est; nihil igitur obstat, quominus signum imperativi etiam obmutescat dicaturque posveč pro scripto posvedč. Cum præterea Bohemi ipsi stačiti pro statčiti scribere soleant, consentaneum est acervum quoque *dč* supra negligi. Eadem denique ratio est acervi *dc* in nostro gen. pl. srdc, qui longo *r* præditus est (cf. p. 58) respondetque boh. srdcí et pboh. srdec (Výbor z liter. čes. I, 12).

[178]) Quorum prius apud Palackýum (Popis království česk. V Praze 1848. pag. 6 et in indice in literas digesto) legitur etiam Dybř et Dyveř respondetque, ut jam pridem (Zvukosloví pag. 68) vidi, pbulg. дьбрь; alterius autem loco solum Obodrž est idemque depravatum teste Sommero (Das Königreich Böhmen. Prag 1833—1849. II, 71), cui A. Vrťátko, natus in urbe Nové Benátky, a qua vicus Obodř proxime abest, a me coram interrogatus assensus est. Dobrš itidem in pristini Dobř locum successisse, Erben conjicit (l. l. in 159 ann. pag. 724 et 791).

[179]) His supplenda sunt ea, quæ a me nuper de eadem re ex industria (Srovn. mluvn. pag. 144, 145 et 199. Mluvn. jaz. slovensk. p. 46, 79 et 80), a Miklosichio autem data occasione (imprimis III, 365 et 366) tradita sunt.

[180]) Hic æque ac in pol. acervis enumerandis *h* loco *ch* usurpatur, præsertim cum constet, *h* pro *g* apud Polonos quoque adventicium esse et rarum. Ceterum confer sis pag. 25 et 26. De

perquam ancipites sunt. Russi enim participia præt. act. verborum I et II classis radicisque in consonantes cadentis extremo *l* aut penultimis *d* et *t* constanter levant,[181]) ut in пекъ, могъ, меръ, плелъ, увялъ, увязлъ et cet. pro пєклъ, моглъ, мрълъ, плєлъ, оуваллъ et оуваʒлъ vel pro boh. pekl, mohl, mřel, pletl, uvadl et uvázl, quæ tamen demto mřel et cet. extrema vocali *l* fere semper carent, apud nos autem sæpius mobili *o* quam *e* instruuntur: piekol—pékel, môhol—móhel et cet. In nominibus vero Russi quoque *l* et *r* ab antecedentibus consonantibus iisdem vocalibus tam diligenter dirimere solent, ut eo ipso contrarium maximam partem e nimia linguæ sacræ imitatione repetendum censeam. Ut enim uno alterove exemplo utar, in academico Lexico[182]) ipso inter alia etiam багоръ, вихоръ, вихорь, вѣтеръ, коперъ, кобелъ, промыселъ, стебель et хороберъ nec non хороборъ juxta багръ, вихръ, вихрь, вѣтръ, копръ, коблъ, промыслъ, стебль et храбръ leguntur; sub свекоръ contra, ўголъ, уголь, узелъ et cet. mobilis *e* et *o* expertia desunt. Sub кислый et круглый itidem solum киселъ et круголъ probatur. In gen. pl. fem. et neutris, ut икръ, игръ, ребръ, ядръ et cet. teste Miklosichio (III, 312 et 313) aliisque mobile *e* et *o* sæpe negliguntur, *e* contra ante *l'* et post labiales nunquam, cum v. c. капель, кровель, сабель et земель constanter respondeant nominativis sing. капля, кровля et cet. Dubitaverim igitur, num кремль, рубль, сипль, журавль et cet. prorsus ita, ut scripta sunt, dicantur. Ceterum de *rl* et *rl'* mox pluribus. Per *sl'* scribitur мысль, отрасль et alia quædam; per *šl'* contra, nisi fallor, tantum nomina locorum, ut Перемышль;[183]) per *zl* denique fortasse solum жезлъ, quod æque ac жезло obsoletum esse Dalь testatur.

2) continet acervos priorum demtis *rl* et *rl'* ac ceterorum, qui pag. 27 ad num. 1 et 2 leguntur, contrarios et simillimos, ut **ĽC**, **RL** et **RĽ**. Horum tamen primus tantum peregrinis vocabulis, ut фальцъ, convenire videtur; *rl* contra et *rl'* audiuntur quidem etiam in vernaculis, ut горл-о et Нерль, sed raro, cum iis, quæ ad num. 1 allata sunt et infra sub lit. C sequentur, plus minusve adversentur. Nec **RC**, **RŠ**, **LS**, **ĽS**, **LŠ** et **ĽŠ** satis certi sunt. Quod

---

molli autem *r*, quod utrobique more boh. designo, memineris, Russos in eo exprimendo plane nihil, Polonos vero aliquanto magis sibilare quam Bohemos. Quod denique ad molle *l* attinet, in eo universo designando B. Nudožerini præcepta (Gramm. boh. l. in 155 ann. fol. 3 et 5 v.) observo neque tamen excedo fines, quos mihi ipse in extrema annotatione 118 constitui.

[181]) Nasalium *m* et *n* hac in causa dedita operâ nullam habeo rationem imprimis ideo, quod eæ, ut mox explanaturus sum, ante *l* quoque longe aliter tractantur ac aliæ consonantes.

[182]) Словарь церковно-славянскаго и русскаго языка. Санктпетербургъ 1847. De quo in comparatione imprimis eorum, quos J. Jungmanno et S. B. Lindeo debemus, quid sentiendum sit, jam alias (l. l. in 47 ann. pag. 88 et 89) paucis probavi. Præterea usus sum etiam Lexico, quod ab eadem Academia ibidem 1852 editum est et inscriptum: Опытъ областнаго великорусскаго словаря. Contra Дополненіе къ опыту областнаго великорусскаго словаря, ibidem 1858 typis exscriptum, non erat mihi præsto. Dalii denique Толковый словарь живаго великорусскаго языка, quod Mosquæ 1861 edi cæpit, tantum usque ad v. кривой mihi patebat.

[183]) Hoc et alia, quorum infra pari modo mentio fit, partim apud E. Ziablovskijum (Землеописаніе росс. имперіи. Въ Санктпетербургѣ 1810. VI, 641 et sequ.) partim in Статистическія таблицы росс. имперіи (ibidem 1858. pag. 235 et sequ.) ordine literarum quærenda sunt.

ut similiter uno alterove exemplo probetur, animadvertas velim, жерцъ et Тельшъ etiam жрецъ et Тельша dici, Нечерцъ nominari lacum in Russia alba situm, вершь obsolevisse, галсъ æque ac вальсъ, маршъ et фальшь peregrina esse, вельсъ a Dalio ipso Ruthenis addici et cet. Num **LŽ** et **ĽŽ** unquam audiantur, dubito. **LZ** contra et ceteros omnes Russi in deliciis habent numerumque eorum insigniter augent mollibus, ut **RŤ** смерть, **RĎ** жердь, **LŤ** желть, **LĎ** желдь, **ĽĎ** сельдь et cet. Quod quidem studium aptissime cohæret cum illa linguæ russ. proprietate, quam jam supra (p. 61) commemoravi moxque accuratius tractaturus sum.

3) in spirantem *v* desinentes, qui sunt: **KV**, **GV**, **TV**, **HV**, **SV**, **ZV**, **ŠV** et **ČV**, v. c. in букв-а, хоругвь, cui tamen plebs корогв-а præfert, вѣтвь, лихв-а, дресв-а, трезвъ, [184]) подошв-а et почв-а.

4) nasalibus *n* et *m* terminatos: **SN**, **SŇ**, **ZN**, **ZŇ**, **JN**, **SM**, **ZM**, **ŽM**, **HM** et **JM**. Quorum tamen alii rari sunt, alii ancipites æque ac in *l* et *r* cadentes. Explicemus breviter! Ложесна solius linguæ sacræ proprium est et gen. ejus pluralis ложеснъ adversatur aliis, ut сосенъ, nec non indef. adjectivis красенъ, ясенъ et cet. Juxta кознъ et празьмъ invenies in acad. Lexico etiam козонъ et празем҃ъ. Verbum есмь apud Russos nostros prorsus inauditum est compensaturque [185]) a plebe inter alia etiam portenti simili есть я, cui ceterum pol. jest-em pro pristino jeś-ḿ vix quidquam cedit. Восемь tandem aliquando scriptoribus quoque russ. magis arridet quam осмь. Ab *sň* contra et *zň* eadem vocali instruendis ii diligentissime se abstinent; plebs vix, præsertim cum teste Dalio aliisque болезень pro болѣзнь dicat. Denique acervi *jn* et *jm* solis gen. pl. fem. войнъ et коймъ convenire videntur. Velim tamen animadvertas, in Černigovensi regione esse fluvium, qui Сеймъ nominatur.

5) habet complures ab *n* et *m* incipientes eosque maxima e parte vocabulorum peregrinorum et vulgarium proprios exceptosque ab ea nasalium *n* et *m* mutandarum lege, de qua mox fusius disceptaturus sum, ut **NT** бинтъ, пинт-а, **ND** биндъ, браванд-а, **NZ** брынз-а, **MZ** кримз-а, **MB** тумб-а et cet.

6) e spirantibus et mutis conflatos et aliquot contrarios, quorum **SK**, **ST**, **SŤ**, **HT**, **ZG**, **ZD**, **ZĎ**, **ŽD** et **ŽĎ** longe sunt usitatiores quam reliqui, ut **CK**, qui in solis locorum nominibus, ut infra ad num. II expositurus sum, viget; **KS** моксъ, макс-а; **SP**, si осп-а æque ac изб-а in gen. pl. mobili *e* carere quoque possit, **ZB**, **PS** мопсъ, **PŠ** лапш-а et **BZ** кобз-а sub conditione nunc ipsum lata, **ŠT** et **ČT** in peregrinis коштъ et почт-а, **VŤ** переливть, **VD** правд-а et cet.

7) e meris spirantibus constantes, quorum quinque jam supra ad num. 3 allati sunt. Huc item refer **ŠČ**, qui omnium frequentissimus est respondetque pbulg. et aliis *št*. **SC** in dubio relinquam oportet, præsertim cum весц-а teste Dalio in Siberia sola vigeat, ab Acade-

---

[184]) Quod per ѣ scribendum est amicis literæ hujus. Meo tamen judicio Russi eâ facillime carere possunt (cf. l. l. in 31 ann. pag. 245—250). Почва e подошва eliso *o* medio, quod pbulg. ъ partes agit, et *dš* in *č* converso effictum esse, pro comperto habeo. Sed dubito, num acervi, ad quos attinet, sint in usu.

[185]) Ut jam a Buslajevo (Опытъ II, 181 et 182) et a me in ejusdem loci censura (l. l. in 47 ann. pag. 332 et 333) probatum est.

micis autem pro obsoleto habeatur. **JC** contra certe est sed in solo убійц-а,[186]) **VŠ** itidem in ковшъ et si qui sunt alii.

8) denique e meris mutis compositos eosque paucissimos: nisi fallor, tantum **PT** лапт-а et **KT** кректъ, quod tamen teste Dalio etiam крехт dicitur atque eodem jure ac v. c. хто pro кто.

II[i] generis acervi demto **ZDN**[187]) omnes ita comparati sunt, ut abjecta prima quaque consonante cum usitatis primi generis congruant. **DSK** tamen et **TSK**, ut mox probabitur, nihil differunt sono a *ck*, **ŽSK** autem ab *sk* et in solis locorum nominibus reperiuntur atque ita, ut nec *ck* loco *tsk* desit, velut in Полоцкъ pro Полотскъ et juxta Иркутскъ, Охотскъ, Богородскъ, Ряжскъ cet. Reliqui hujus generis acervi sæpius incipiunt a spirantibus et liquidis quam a mutis *b* et *p*, ut **STR**, **ZDR** мяздр-а,[188]) **NDR** тундр-а, **STV**, **CTV** pro *tstv* et *dstv* secundum ea, quæ de *tsk* et *dsk* supra annotavi; **RTV** мертвъ, **LHV** волхвъ, **RST**, **RSŤ**, **RŠČ** борщъ, **LST**, **LSŤ**, **NŠT** in peregrino куништъ æque ac *št* et *čt*, qui ad I, 6 leguntur; **JSK** in войск-о et in locorum nominibus, ut Можайскъ, Суйскъ, Зарайскъ et cet. Ea sola terminantur acervis **BSK**, **ĽSK**, **MSK**, **NSK**, **PSK**, **RSK** et **VSK**, ut Борисоглѣбскъ, Бѣльскъ, Волоколамскъ, Глинскъ, Курскъ, Ропекъ, Сѣвскъ et quæ sunt reliqua. Denique meminerimus, complures horum

---

[186]) Quod Böhtlingk, cum de russ. et pbulg. *j* disputaret, nescio quo pacto, nihil curavit; ego vero in eadem causa (p. 33—39) tantum ideo, ut brevior esse possim, silentio præterivi.

[187]) Qui in бездн-а est teste Puchmayero (Lehrgeb. der russ. Spr. Prag 1820. pag. 214). Ibidem invenies etiam alios gen. plurales, quorum Miklosich (I, 405 et III, 312) nullam habet rationem, etsi plerique omnino certi sunt. De *zdn* tamen ego ipse dubito, præsertim cum in acad. Lexico праздснъ mobili *e* instructum sit et tenui acervo *stn* idem constanter fiat, ut in gen. pl. устенъ et in indef. adjectivis радостенъ, жалостенъ cet. At устна perperam addicitur ibidem sub устнѣ soli linguæ sacræ annumeraturque neutris et pluralibus tantum. Устнѣ enim dualis est numeri; deinde устна legitur in Областный словарь atque etiam tamquam neutrum et plurale tantum — num recte an secus, ii imprimis Russi, qui illo vocabulo adhuc utuntur, dijudicent; denique pbulg. ustьna æque ac recentissimum usnъ et slovin. ustna feminina esse et singularia quoque, testatur Miklosich (Lexicon iterum ed. s. v.) cum Kyriak-Cankovis (l. l. in 167 ann. pag. 213).

[188]) Cui in acad. Lexico мездра vix juste præfertur, cum pbulgarico non solum Miklosich sed etiam Vostokov (Словарь церковно-славянскаго языка. Санктпетербургъ 1858—1861) tribuat *ę*, in hujus autem locum Russi non *e* sed, ut jam supra (p. 57) docetur, *a* et *я* substituere soleant. Sed longe majoris momenti est id, quod non satis constat, utrum acervus *zdr* in usu sit necne. Quid autem mihi de eo æque ac de *str* et *ndr* videatur, ex illis, quæ supra ad I, 1 attuli, patet et quidem eo magis, quod ne *str* quidem mobilis *e* prorsus expers est, cum gen. pl. fem. сестеръ teste Puchmayero solus, docente autem Miklosichio una cum сестръ vigeat. Quis igitur vel his diligentius expensis continere se possit, quin flagrantissime optet, ut altera, quæ paratur, Lexici acad. editio eorum quoque genitivorum, qui huc pertinent, rationem habeat aut vernaculæ grammaticæ russ. in eodem negotio exsequendo posthac diligentius versentur? Ceterum idem etiam ab omnibus reliquis Slavis præter Bulgaros, Croatas et Serbos postulandum esse, lectores mei nullo negotio perspicient concedentque.

acervorum etiam ultima consonante abjecta concinere cum usitatis primi generis. Ut uno duntaxat exemplo utar, *rtv* abjecto *r* congruit cum *tv*, demto autem *v* cum *rt*, quorum posterior ad I, 2, prior autem ad I, 3 spectat.

III[i] generis acervi demto **RBSK**, quo Славеносербскъ solum terminatur, omnes in *stv* cadunt, primo autem loco habent liquidas *r*, *l'*, *m*, *n*, spirantes *j* et *v* nec non mutas *b*, *p*, *d*, *t*. **DSTV** tamen et **TSTV**, cum instar *ctv* exprimi soleant, proprie ad II spectant reperiunturque cum reliquis omnibus præter **RSTV**, qui etiam in черствъ est, in solis gen. pl. nominum in *stvo* cadentium, ut руководствъ, богатствъ, посольствъ, свойствъ, удобствъ, чувствъ et cet.[189]) Denique pro comperto habeto, nonnullos acervorum horum ad priores ita referri, ut id de pbulg. *skvr* supra (p. 28) probatum est.[190])

Ruthenorum acervis percensendis supersedendum mihi est et quidem non solum propter ea, quæ scriptoribus grammaticisque ruth. supra ad num. 118 et 164 vitio versa sunt, sed etiam ideo, quod toto lexico ruth. adhuc caremus.[191]) Compertum tamen est, vocabula ruth. aliquanto lenius terminari quam russica atque imprimis ideo, quod Rutheni acervos ab *l* incipientes plane nullos habent, *l* ante alias consonantes ita mutare consueti, ut jam supra (p. 62) tradidi et ad lit. D declaraturus sum.

Poloni contra in terminandis vocabulis suis paullo severiores se præbent quam Russi, etsi illi quoque in eam rem plus quatuor consonantes vix unquam impendere solent. Acervi igitur consonantium in extremis vocabulis pol. usitati etiam in tria dividuntur genera.

I[um] eorum insuper prorsus ita ut russicorum in octo dispertitur species, quarum idcirco

1) etiam liquidis *l* et *r* terminatos acervos continet, ceterum autem ab eadem russica haud parum discrepat. Poloni enim eruditi signum participii præt. act. nunquam negligunt, dicere quoque consueti piekł, mógł, marł, plótł, uwiądł et uwiązł pro russ. aliisque supra inter se collatis. Cum tamen satis constet, eum loquendi scribendique usum quæsitum esse,[192])

---

[189]) Qui Katkovo (Объ элементахъ и формахъ славяно-рус. языка. Москва 1845. pag. 114—116) nequaquam probantur sed omnino certi sunt. Бодрствъ contra et ceteri ne iis quidem, qui linguam russ. cum sacra maxime confundunt, arridere videntur; alioqui non dubito, quin sint, ut verbis Šafaříkii ipsis dicam, mrtvých duchův mrtví plodové pro mrtvé mysli (Památky dřevního písemnictví Jihoslovanův. V Praze 1851. pag. IV), præsertim cum acervus *drstv*, ut jam supra (p. 61) indicavi, in mediis quoque vocabulis magnam moveat suspicionem. De *strk* autem, qui eliso mobili *o* vocabuli заострокъ ut in заострк-а, -у et cet. oritur ibidemque omissus est, dubito, num *r* ejus unquam audiatur.

[190]) Si enim missis aliis *rstv* bifariam æquabiliter diviseris, orientur acervi *rs* et *tv*, quorum prior v. c. in барсъ est et ad I, 2 pertinet, alter autem sub I, 3 locum suum et argumentum habet. Præterea *rstv* demto *r* congruit cum *stv*, abjecto denique *v* cum *rst*, qui cum priore ad II spectat, sed præter gen. pl. nominativi quoque sing. proprius est, ut перстъ cet.

[191]) Id enim, cujus auctor Ath. Čužbinskij est et pars in Матеріалы для сравнительнаго и объясн. словаря и грамматики (III, 1—176) legitur, quod sciam, non est ad finem perductum nec vitiorum, quæ supra commemoravi, prorsus expers. Alia autem nulla novi.

[192]) Aeque ac complures alios, quibus ceterum Polonos Russis parum aut nihil cedere, facile tibi persuadebis, si solum vitia ea, quorum scriptores pol. in Smithii grammatica, de qua vide sis

consentaneum est, ut acervi eo conflati pro infectis habeantur. In nominibus autem extremis vix invenies alios huc spectantes acervos ac **BL**, **RL**, **RĽ**, **SL**, **ŚĽ** et **ZL**. At nec hi in deliciis sunt Polonis. Demtis enim *rľ*, *sl* et *śľ*, de quibus mox pluribus, reliqui tres, nisi fallor, tantum in gen. pl. neutris garł, giezl et ździebl reperiuntur atque ita, ut scriptoribus gardł quoque et gardeł, ździebeł et źdźbeł probentur. De *rľ* in Narl [193]) vehementer dubito, in -gardl [194]) contra ne minime quidem, præsertim cum optimi quique scriptores vocabula gardło, gardłacz, gardlica, gardłować et cet. literâ *d* libentissime privent, itaque facto probent, in -gardl æque ac in gardł *d* non enuntiari Miklosichiumque (I, 468 coll. cum 471 et 472) in errore versari, cum doceat, *d* suffixo *dło* nunquam deesse, *ł* autem in extremis vocabulis post alias consonantes promiscue, h. e. omni literarum et partium orationis discrimine remoto obmutescere. Quid illi de *l* eodem loco: in myśl, lato-rośl et cet. videatur, non patet ex opere ejus modo l. Me vero plura, a quibus tamen exponendis nunc abstinere me debeo, adducunt ad existimandum, *śľ* æque ac *sl* in wy-mysł et quæ sunt reliqua, *zl* et *bl* a plebe plerumque mobili *e* instrui, itaque missis aliis pro giezl, quod Miklosich (III, 441 et 459) perperam etiam ad nom. giezło pro gzło refert, vel gzieł vel anomalum gzłów dici. Acervi **KŘ**, **HŘ** et **BŘ** in solis locorum nominibus, ut Kiekrz, Mokrz (370), Ciechrz (488) et Niechobrz, vigent. In Chroberz tamen est *e* mobile, quo quidem præter *kř* et *hř* etiam **PŘ** et **TŘ** constanter carent, ut in Niechnoprz, pieprz, nazajutrz, wewnątrz et cet. **BR**, **DR**, **MR** et **PR** sæpius instruuntur eadem vocali quam **TR**, ut in ceber et keder, quorum prius etiam nomen loci est, alterum cum cedr conferas et animadvertas velim, nullum eorum apud Linde

---

ann. 20 et 51, et in Miklosichii comparativa data occasione, russici autem in mea disputatione, cujus titulus in ann. 31 legitur, ex industria arguuntur, sine ira et studio inter se contuleris.

[193]) Quod teste Chr. Crusio (Topographisches Post-Lexikon aller Ortschaften Ost- und West-Galiziens. Wien 1802) nomen vici in Rzeszowensi regione siti est, sed nec in Alphabetisches Verzeichniss aller Ortschaften Galiziens und der Bukowina (Lemberg 1832) nec in Karta dawnéj Polski (Paryž 1859) legitur. Præter Niechobrz et Ziempniow, quæ a Crusio emendate descripta esse, imprimis Karta modo l. testatur, reliqua omnia locorum nomina, quorum infra rationem habeo, in locupletissima luculentissimaque Tabella miast, wsi, osad Królestwa Polskiego (W Warszawie 1827) ordine literarum, apud J. N. Bobrowiczium (Opisanie historyczno-statystyczne W. Księztwa Poznańskiego. Lipsk 1846) autem etiam secundum numerorum notas, quæ post nomina, ad quæ attinet, uncis inclusæ paginas indicant, quærenda sunt. Index enim, qui ibidem (pag. 549—573) in literas digestus legitur, tantum nomina urbium et possessionum continet. Denique amici carminum pboh. meminerint, Miklosichium nec in eo opere, quod in ann. 158 quasi præteriens impugno, nec in altero, quod „Die Bildung der Ortsnamen aus Personennamen im Slavischen" inscriptum est et ibidem (1864. XIV, 1 et sequ.) editum, vel Tabellâ illa, quam supra laudibus debitis effero, usum esse.

[194]) Quod tantum cum biało, czarno et czerwono compositum viget sed in utraque Lexici Lindeani, quo hac in causa potissimum utor, editione sub biały et czerwony per *ł* scriptum est. Łukaszewski contra et Mosbach (Polnisch-deutsch. u. deutsch-poln. Taschenwörterbuch. Breslau 1850) constanter habent -gardl — num recte an secus, alii viderint.

aliter legi, nec missis aliis szemr et wiatr; juxta vero cąbr, chabr, kopr et cetera inveniri ibidem etiam cąber, chaber, koper.

2) Acervis ab *l* et *r* incipientibus Poloni superant Russos. Illis enim certe familiares sunt etiam **LŽ** malž, **ĹŽ** odwilž, **ĹS** Puls (451), **ĹŠ** olsz-a, quocum inter alia Olch confer, **ĹC** Sielc, quod etiam cum krasno compositum viget, sed a Posnaniensibus Sielec dicitur, **RC** serc-e et **RŠ** Zbersz. Præterea Poloni utuntur etiam molli *ř* præditis, ut **ŘB** świerzb, złotowierzb, **ŘK** zmierzk, cui tamen in **ŘH** cadens et cum pierzch, wierzch aliisque congruens zmierzch præfertur. Cum denique signum imperativi modi non solum post simplices consonantes, ut Russi (cf. p. 35), sed etiam post compositas, etsi paullo invitius quam Bohemi et Sorbi superiores, supprimere soleant,[195]) sequitur, ut apud eos et hi acervi universi et alii plerique frequentiores sint quam apud Russos.

3) **KV**, **GV** et **TV** invenies quidem in gen. pl. nominum tykw-a, pigw-a, modlitw-a et cet. sed juxta tykiew, pigwów, modlitew et juxta nom. sing. mobili *e* nunquam carentes, ut bukiew, chorągiew, mątew et cet.[196]) **ZV** contra in odezv-a vix unquam dirimitur eadem vocali. Num idem jure dici possit de **ŽV** in łyžw-a, dubito, præsertim cum *šv* et *hv* nunc inauditi sint.

---

[195]) Małecki hac in causa (l. l. in ann. 48 p. 147 coll. cum 180 et sequ.) aut secum ipse pugnat aut valde obscurus est. Priore enim loco reticet, *i* post compositas consonantes obmutescere, altero autem profert complures imperativos binis consonantibus terminatos, ut cierp, depc, gwiždž et cet. De zmarszcz tamen et cet. frustra consulueris etiam Muczkowskium (Gramm. języka pol. W Krakowie 1836. p. 139 et 140), Smithium (Gramm. der poln. Spr. ed. pr. pag. 71 et 129), Miklosichium (III, 491) aliosque. Quæ vero a Małeckio (p. 41) de vocabulorum pol. terminatione universa traduntur, ea imprimis prorsus ita, ut in extrema ann. 48 scripsi, comparata esse, hæc duntaxat testentur: quod 1) imperativi modi ne mentio quidem fit ibidem; 2) ignoratur, vocabula pol. etiam quaternis consonantibus finiri; 3) inconstanter et insolenter perhibetur, in gen. pl. fem. et neutris inauditos esse alios consonantium acervos ac hos: *rc*, *źb*, *zn*, *sk*, *sm*, *st*, *stv* et *ctv*. Quod enim ad pugnantia attinet, auctor ipse supra testatur, sióstr loco pristini sioster esse in usu. Insolentem autem se exhibuit inter alia eo, quod e numero acervorum, quos nunc ipsum retuli, sine ullo argumento ejecit complures, quos Miklosich (III, 441 et 442) satis superque probavit adhuc vigere, ut *l'b*, *l'ń*, *rb*, *rn*, *mst*, *pstv* et cet. Velim tamen animadvertas, ibidem quoque deesse aliquot acervos ejusdem casus proprios et in his eos, ad quos annotatio hæc refertur, ut *lp* małp-a, *rp* karp-a, *řb* wierzb-a, *rt* kart-a, *rč* tarcz-a et cet. Cujus rei causa verisimiliter in eo posita est, quod Miklosich eodem loco longe diligentius respiciebat Smithii præcepta de gen. pl. (l. l. p. 41—44) quam sua propria de vocalium pbulg. ъ et ь apud Polonos vicissitudinibus (I, 456 et 457), quæ a me supra (p. 56 et 62) quam brevissime relata sunt. Juvabit denique meminisse, in *lč* præter Białcz vix cadere alia vocabula, in *l'č* contra complura, ut Gulcz (449), Kwilcz, Milcz (337), quod etiam imperandi modus est, Palcz (424) et cet.

[196]) Quæ in utraque Lindeani lexici editione, nescio quo pacto, itidem jam duro jam molli *w* terminantur. Genitivus pl. odezw legitur inter alia etiam in præfatione alterius earum (pag. 12). At masc. nominativi odzew, pozew et cet. semper habent mobile *e*, nec imperativis verborum zwać, pozwać et cet. unquam deest *i*.

4) ŚŃ et ŹŃ imperativis quoque, ut waśń et draźń, tribuuntur; **ZN** solis gen. pl. nominum in *zn-a* cadentium, **SM** contra etiam nominativo ręko-pism, **ŚM** et **DM** solis numeralibus ośm et siedm, quibus tamen, teste Smithio (l. l. p. 54) osiem et siedem præferuntur. Denique **JM** et **JN** vix terminant alia vocabula ac sejm et Przystajn.

5) Acervi priorum contrarii plerumque neglecta nasalium *n* et *m* mutandarum lege, de qua mox pluribus, exstiterunt atque ita, ut in peregrinis vocabulis longe sint frequentiores quam in vernaculis, ut **NT** missis peregrinis in gont et Krzewent, **ND** żmind-a, **ŇČ** kończ, Chomończ, **MČ** Nimcz et cet.

6) **SK, ZG, ST, ZD, ŚĆ, ŹDź** et **ŽDž** longe plura terminant vocabula quam ceteri et contrarii, h. e. e mutis et spirantibus conflati. **CK** enim et **DzK,** qui priori plane concinit, in solis locorum nominibus tolerantur et quidem *ck* longe libentius quam *dzk:* Ceck, Daleck, Kąck, Kock, Niedźwiedzk, Rudzk et cet. **JK** autem, **KS** et **ŠT** vix invenies in aliis ac in Łajk, Guszt (268), Ruks (278) et in peregrinis buks, taks-a, areszt, koszt et cet. **ČT, HT, SP, ZB, ŚB** et **ŹB** genitivis pl. nominum uczta, plachta, wyspa, izba, kośba, rzeźba et ceteris certe tribuuntur. De **PS** contra, **BZ** et **GŽ** in kaps-a, quod etiam kapz-a scribitur, kobz-a et pięgž-a dubito, etsi non ignoro, *ps* in peregrino mops, **PC** autem præter szepc, quod cum germ. scheps conferendum est, etiam in imperativis unâ cum **PČ, PŠ, KC, KČ** et **KŠ** tolerari: depc, krzepcz, łepc, miękcz, piększ, polepsz, smokc et cet.

7) Acervus **ŠČ** omnium, qui e meris spirantibus constant, frequentissimus est. Præstat enim vicem pbulg. *št* et minimum semel etiam duri *st* idque in moszcz.[197]) De **ZV** jam supra disceptatum est. Huc item refer **SC** żelezc-e, **JC** szwajc-a, **JČ** Czajcz, **JS** pejs, **VC** szewc pro pristino szwiec et pbulg. шьвьць, **HC** łechc et cet.

8) Præter **KT, PT** et **BB**, qui v. c. in nikt, Trakt (283), szept et chebd certe sunt, vix invenies alios acervos e meris mutis conflatos.

II[i] generis acervi habita primæ eorum consonantis ratione aptissime in tres dividuntur species, quarum

1) eos complectitur, qui primo loco habent spirantes *s, ś, š, z, c, j* et *v*, ut **STR, STŘ** ostrz, **ZDR** Pyzdr-y (393), **SKV** pluskw-a,[198]) **STV, CTV**, quocum **DzTV** województw-o sono prorsus congruit, **ŠČK** Goszczk et Mieszczk,[199]) **ŚLM** Kuślm (198), **JSK** wojsk-o et Gojsk, **JSC** miejsc-e, **JŚĆ** Gojść, u-jść, za-jść et cet. **VSK** Ławsk et Slawsk (488).

2) continet acervos a liquidis incipientes, ut **RSK, ĽSK, MSK, NSK** et **ŇSK**, qui in locorum nominibus longe sunt frequentiores quam in aliis, ut Czersk, Czomsk, Dolsk, Dulsk, Łonsk (429), Pinsk (517), Słońsk (483), parsk, winsk-o, zielsk-o et cet. **RKS** Marks (451), **RST** pięć-perst, **LST** Chelst, **MST** zemst-a, **RŚĆ, ĽŚĆ, RŚĽ** Czerśl, **RHĽ** sierchl, præter quod etiam sierść et sierć pro pbulg. срьсть est in usu; **ĽŚŃ** pilśń, quod etiam pilść pro плъсть

---

[197]) Quod etiam muszcz et moszt scriptum est effictumque proxime et secundum germ. most vel lat. mustum, ad pbulg. мъстъ igitur ita refertur ut Slovinorum mošt, de quo vide sis 65 pag.

[198]) Cui Miklosich (III, 441) perperam tribuit *ł*, mobile *ie* contra optimo jure, præsertim cum eodem *kv* quoque cum ceteris instrui soleat.

[199]) Quocum confer sis inter alia neutrum Grodziszczko nec non fem. mieszczka, rószczka et cetera, quæ tamen in gen pl. vix unquam carent mobili *e*.

dicitur; **RŠT** warszta, de quo mox pluribus; **RŠČ**, **RPC** Sierpc, **RDL** et **RDĽ**, quorum tamen *d* mutum esse, jam ad I, 1 probavi; denique **LDR** in peregrino maldr, quod missis aliis secundum gen. pl. fem. kolder mobili *e* instruendum erat.

3) denique habet acervos a mutis *b*, *p* et *k* incipientes: **BSK**, **PSK** et **KŘK**. Ultimus eorum præter Mokrzk nullum aliud vocabulum terminat, reliqui autem longe frequentiores sunt in locorum nominibus quam in aliis, ut Babsk, Dębsk, Szrubsk (485), Lipsk, Slopsk, Szapsk, choróbsk-o et cet.

Ceterum plerosque hos acervos abjecta tam prima quam ultima eorum consonante cum usitatis primi generis congruere, primo obtutu perspicitur.

III[i] generis acervi, demto solo **BRŠČ** Dubrszcz (428), omnes in *stv* cadunt et vel a liquidis *r*, *l'*, *m* et *ń* vel a spirantibus *j* et *v* vel denique a mutis *b* et *p* incipiunt. Præter **RSTV** reliqui omnes tribuuntur solis gen. pl. nominum in *stvo* cadentium, ut gospodarstw, hrabstw, kiepstw, kłamstw, opilstw, państw, prawodawstw, złodziejstw et cet. **VSTV** tamen jam in nomin. ipso plerumque levatur priore *v*, ut in królestwo, ojcostwo et cet. Idem fit alteri *v* nominis fem. warstwa, quod etiam warsztwa, warsta et warszta scriptum est respondetque missis aliis pbulgarico връста et nostris ac boh. vrstva et vrstev. Quod autem ad gen. ejus pl. attinet, warstw et warstew jam Linde, ut par est, comprobavit. Warst et warszt non leguntur quidem apud eum, sed sine ulla dubitatione concedendi sunt, præsertim cum herszt æque ac herst vigeat. Nec warsztew ullam movet suspicionem, warsztw contra quam maximam, cum vix unquam legatur nec analogiâ ulla nitatur.

Eadem de causa in dubio relinquendum censui acervum **RBSTV** vocabuli podskarbstwo, quod æque ac warstwa in suo genere singulare est.

Sorbi imprimis ideo, quod femininos quoque et neutros gen. pl. fere omnes in *ov* cadere sinunt, præter **RNSK** in Černsk [200]) vix utuntur aliis ejusdem generis acervis. E ternis contra et binis consonantibus conflatos tot et tales habent, ut eo ipso concedendum sit, vocabula eorum multo asperius terminari quam polonica, præsertim cum mobilibus vocalibus et signo imperativi omnium Slavorum parcissime utantur. Quo missis aliis id quoque fit, ut in extremis vocabulis sorb. præter acervos e binis mutis constantes etiam alii plus minusve difficiles invisique reliquis Slavis persæpe legantur, ut **BK** zubk, **PK** pupk, **DK** zadk, **TK** skutk, **BC** dubc, **PC** kupc, **ČK** synačk, **ŠK** małušk, **BČK** zubčk, **PČK** pupčk, **VČK** rukavčk, **NČK** věnčk, pol. wianeczek, boh. věneček et věnček, pro вѣньчькъ, **RTK** štvórtk, pol. czwartek, boh. čtvrtek, quod štvrtek, pbulg. autem четвръткъ dicitur; **KŇ** pukň, **HŇ** ćéhň, quod Sorbi inf. in śégň detorserunt, **MKŇ** zamkň, **RHŇ** torhň et cet. pro pol. puknij, ciągnij, zamknij et targnij, quorum *j* ceterum falsissima niti analogiâ, prorsus certum est.

[200]) Quod nomen vici in Lusatia superiore siti est afferturque e locorum sorb. indice, quem amicus A. Patera usui suo paravit mecumque libentissime communicavit. Cetera, quorum supra ratio habetur, partim in Lexico I ad num. 165 partim apud Jordanum (Gramm. der wendisch-serb. Sprache in der Oberlausitz. Prag 1841. 42—45, 92, 144 et 160) ac Miklosichium (I, 488, 503; III, 491, 515, 533, 542, 553 et 565) quærenda sunt. Quo facto inter alia id quoque comperies, Polonos olim etiam modo imperandi proxime accessisse ad Sorbos (cf. p. 62), cum ne targń quidem aversarentur.

C) Slavi generatim a consonantibus geminandis adhuc quam diligentissime se abstinent. Præter Dobrovskýum (cf. p. 13 et 21) testantur id etiam alii iique celeberrimi grammatici nostri,[201]) etsi non ignorant, quin recentiora literarum slav. monumenta, præsertim cum pleraque, ut mox probaturus sum, magis secundum etymologiam quam enuntiationem scripta sint, geminatas consonantes in primis quoque et extremis vocabulis interdum habeant, ut *čč* in pol. czczy pro тъштий, *ss* in pol. ssać et boh. ssáti pro съсати et russ. сосать, *vv* in russ. введу, ввезу et cet. pro въведѫ et въвезѫ, *ll* et *nn* in pol. mell et pell, præter quæ tamen etiam mleł et pleł pro млѣлъ et плѣлъ sunt in usu, nec non in gen. pl. fem. dziewann.[202]) Neque fugit ullum illorum, a Slavis geminatas consonantes simplici prioris earum elisione longe libentius e medio tolli, ut in юси et грамота pro jes-si et γράμματα, quam aliis modis et in his dissimilatione, ut in pboh. sejže, zajže et cet. pro sežže et zažže;[203]) in vulgaribus padna, prkednej, soukednej et cet. pro panna, prkenný et soukenný,[204]) denique missis aliis in pol. miętki et letki teste Lindeo aliisque pro miękki et lekki, quibus pbulg. мѧкъкыи et льгъкыи respondent.

Non minus certa est ea linguarum nostrarum proprietas, quam pag. 22 probandam pronuntiavi statuens, Slavos etiam a consonantium ejusdem generis collisione summopere abhorrere. Quis enim quæso est, quin, nisi Schleicheri aliorumque ejusdem farinæ hominum more ficta factis anteponere soleat, facillime concedat, jam a Bulgarorum majoribus v. c. in genitivis, quos pag. 50 continet, acervos *zž* et *zč* maxime ideo literâ *z* levatos esse vel in *žd* et *št* mutatos, quia aliter elementa eorum sono admodum parum differrent inter se itaque ad geminatas consonantes, quæ in lingua pbulg. prorsus inauditæ erant, proxime accederent? Quis præterea ausit adversari mihi jam diu docenti, apud nos *js*, *s* et *š* loco *sš*, *zš* et *zs* eadem de causa vigere v. c. in krajší, terajší, rásocha, rásvit, ráštep et cet. pro krasší, terazší, rázsocha, ráz-svit et ráz-štep; a Bohemis autem *h* ante *ř* incolume servari in hříbě, hřebec et quæ

[201]) Ut Šafařík his imprimis verbis: „Zdvojování sonhlásek v češtině, jakož vůbec ve slovanštině, není obyčejné" (l. l. in 152 ann. pag. 27) et Miklosich, qui eandem linguarum nostrarnm proprietatem in vulgus notam ducit (I, 397—399; III, 346 et 349) contendens inter alia, a Russis *n* in participiis præt. pass. et *t* infiniti verbi итти perperam geminari. De quorum posteriore si me quoque (Čas. mus. 1862. p. 148, 153 et seqn.) consulueris, spero fore, ut concedas, P. Lavrovskijum in eo contra nos defendendo operam perdidisse (Записки имп. Акад. наукъ. 1865. VIII, 1, 32 et 33).

[202]) Ubi ceternm *n* perperam geminari ideoqne una cum *ij* pro *i* imperativornm, quornm supra mentio fit, in numero eorum vitiorum, quæ ad num. 192 commemoravi, referendum esse, vel ex eo facile colligere licet, quod panna eodem casu constanter panien dicitur. Quod Miklosich (III, 441) non animadvertit, de mell contra et pełł, ut par est, probavit (I, 470 et III, 502), iis duplex *l* jure tribui.

[203]) Teste Šafaříkio (l. l. p. 23) et Miklosichio (I, 442 et III, 418), ubi etiam ea, quorum infra iisdem auctoribus ratio habetur, quærenda sunt.

[204]) Časop. mus. král. čes. 1863 pag. 335 et 1864 p. 51. Ego vero idem jam a 1857 (l. l. in ann. sequ. p. 145) ad eandem rem impendi, sed in explananda geminatarum consonantium collocatione fere idem peccavi ac Schleicher (Zeitschrift für die österr. Gymn. 1851 p. 288 et 289).

sunt reliqua pro nostris žriebä et žrebec, nostros contra et plerorumque Slavorum acervos *sr* et *čr* eodem loco sitos sæpius in *stř* quam in *tř* converti, ut in stříbro, středa, střída vel třída, střevo et cet. pro nostris sriebro, sreda, črieda et črevo. [205]) Quibus adde sis Šafaříkio quoque et Miklosichio suffragantibus *jš* loco *zš* comparativorum pboh. mlajší, slajší cet. pro mlazší et slazší; *jč* l. *žč* verbi půjčiti pro požčiti, quod proxime et secundum požičiti eliso *i* ante *č* sito, ut missis aliis in děcko pro dětisko, effictum est; požičiti autem una cum nostris požičiť et požičať nec non cum pol. pożyczyć et pożyczać literâ *t* plane ita privatum est ut stačiti et stačiť (cf. ann. 177), a quibus pol. starczyć imprimis liquido *r* pro *t* discretum est; *rc* et *rč* l. *řc* et *řč* in rci, rčení et cet. pro řci et řčení, pbulg. рьци et рєчениє. Denique pro *řs* quoque in pastýřský, pastýřství et quæ sunt reliqua, constanter *rs* dici, prorsus certum est. Poloni studio eodem facile præstant inter omnes Slavos. Illi enim acervos e sibilantibus conflatos priore earum in *j* mutata libentissime evitant, dicentes v. c. ojca, ojczyzna, płajca, zdrajca, wiejski, dojrzeć cet. pro oćca, oćczyzna, placca, zdradźca, wieśski et dożrzeć. Præterea pro *cš* et *čš* habent *tš* et *kš* in więtszy et większy pro więcszy et вяштьшний gorętszy, ochotszy et rętszy pro goręcszy, ochoczszy et ręczszy. Quod denique missis aliis ad acervos *čř*, *řč*, *řc*, *řs*, *sř* et *žř* attinet, primo eorum olim more boh. præter *tř* etiam *stř* substituere solebant; [206]) ab *řč*, cujus vicibus olim itidem *rč* fungebatur v. c. in rczy pro rzczy et boh. rci, nunc prorsus se abstinent, reliquos autem etiam neglecto sibilo literæ *ř* proprio vel ita evitant ut Bohemi *řč*, *řc* et *řs* vel Sorbi *čř*, *sř* et *žř*. Ita fit, ut Poloni nunc trzoda, trzewo, śrebro, środa, źrebię et źrebiec scribant pro boh. et nostris, quæ supra leguntur conferendaque sunt inter alia cum чрѣда, чрѣво, сребро, срѣда, жрѣбѧ et жрѣбьць nec non cum Sorborum superiorum propriis teste Pfulo črjóda, črjewo, slěbro, srjeda, žrěbjo et žrěbc vel zrěbjo et zrěbc; pro korzca autem korca, pasterski pro pasterzski et cet. Ex aliis linguis slav. satis habeo huc item hos consonantium acervos referre: *jc* l. *čc* vocabuli slovin. srajca, cujus jam in ann. 171 mentionem feci quodque proxime et secundum sračca, hoc autem e sračica eliso *i* effictum est; *jc* et *js* l. *ćc* et *ćs* in croato-serb. nojca et mogujstvo, quæ juxta noćca et mogućstvo reperiri, Jagić, ut par est, testatur; [207]) slovin. *hč* et croato-serb. *kć*, *hć*, *šć* et *ć* l. *dč* et *dć* vel habita enuntiationis ratione l. *tč* et *tć* in hči, kći, hći, šći et ći pro дъшти; denique *ml* l. *mn* in mlogi, quo pro mnogi teste Miklosichio (I, 288, 325 et 508) aliisque præter Croatas et Serbos etiam Bulgari et Sorbi inferiores utuntur.

---

[205]) Srovn. mluvn. jaz. čes. a slov. pag. 135 et 147—150.

[206]) Linde enim sub voce trzewo etiam strzewo profert et, ut par est, probat. Idem fecit Miklosich (I, 467, 473, 478 et III, 497) demto eodem acervo reliquis omnibus, quorum hic ratio habetur, sed in iis explicandis minus profecit quam Małecki, qui complures eorum ad geminatarum consonantium odium refert (l. l. ad num. 48 pag. 47 et 48) et ideo quoque laudandus est, quod, etsi ibidem acervos *rc* et *rs* pro *řc* et *řs* non respicit, tamen adversatur Miklosichio, qui pristinam scribendi rationem *śrz* et *źrz* nunc vigenti *śr* et *źr* anteponit.

[207]) L. l. ad num. 50 pag. 74. Apud Miklosichium (I, 329) Pacelíumque (l. l. ad num. 149 p. 90) et in V. St. Karadžićii lexico iterum edito deest mogujstvo. Quod autem ad kći attinet, id olim cum *hć* quoque viguisse, Miklosich (III, 250) solus probavit, sed šći et ći perperam omisit ibidem et l. prius l.

D) Plerique Croatæ cum Serbis et Slovini cum Ruthenis *l* in extremis vocabulis et syllabis post vocales æquabiliter tractant vel, quod re ipsa spectata eodem redit (cf. pag. 39 et sequ.), in mediis vocabulis ita ut in finitimis mutant atque illi demtis Croatis insulanis [208]) in *o*, hi autem præter Slovinos, qui Hungariam incolunt, in *u* vel *v*. Ceterum etiam hac in re haud parum inter se discrepant. Rutheni enim molle *l* demto eo, quod apud Bulgarorum majores cum ь inter duas consonantes erat in usu, utrobique incolume servant, Slovini autem promiscue eodem modo ac durum longe libentius mutant quam Croatæ et Serbi, in scribendo tamen utrique *l* æque ac illi, quod pbulgaricis лъ et ль inter duas consonantes sitis respondet (cf. 52 et 53), parcunt, ut v. c. in jolša vel jelša, selce, sol, kralj et učitelj, quorum duo postrema ceteraque Slovini in Hungaria habitantes cum *o* quoque l. *lj* dicere solent, Croatæ contra et Serbi nunquam, pro tribus autem reliquis habent jóha, jóva, jelša, seoce et sȏ, cujus ȏ æque ac *ó* duorum priorum ex *oo* contractum est. Apud Ruthenos denique illis quinque hæc respondent: ольха, сельце, силь, король et учытель. Etiam in duro *l* mutando Rutheni longe parciores sunt quam Slovini, Croatæ et Serbi. Illi enim extremum *l* participiorum præt. act. post alias consonantes una cum Russis, Polonis (cf. p. 68 et 71) et Sorbis supprimere, hi autem, cum ibidem mobilibus vocalibus utantur, eo de quo disputatur modo mutare consueverunt, ut in pasao, pekao, mogao et digao, slovin. pasel, pekel, mogel et digel, ruth. pas, pik, mih et dvyh pro пaслъ, пеклъ, моглъ et двиглъ. In aliis tamen vocabulis nec Rutheni tolerant extremum *l* post mobiles vocales, cum v. c. koteu, oreu et śviteu vel kotev, orev et śvitev dicant pro croato-serb. kotao, orao et světao, slovin. kotel, orel et svêtel, pbulg. котьлъ, орьлъ et свѣтлъ. Restat, ut missis aliis ea ruth. nomina, quæ nunc ipsum attuli, vel participia præt. act. priorum contraria, ut dau et pyu vel dav et pyv, cum iis duntaxat vocabulis, quæ *ou* vel *ov* pro pbulg. лъ et ль inter duas consonantes sitis instructa sunt et supra (p. 62) explanata, ut vouk et pounyj vel vovk et povnyj, conferas concedasque, rem hanc apud Ruthenos quoque plane ita se habere, ut in eam ingressi sumus.

E) Nasales contra consonantes ibidem sitas vel acervos ab *n* et *m* incipientes in vocabulis mediis et finitimis plerique Slavi æquabiliter sed suo quisque more tractant. In aliis autem mutandis generatim ita versantur, ut existimandum sit, eorum plerorumque odium duntaxat recentioribus Slavis cum veteribus Bulgaris commune esse. Spero fore, ut haec omnia circuitione quoque seu ita satis probentur, si solum principales compositarum consonantium mutandarum leges in clara luce collocavero.

Quapropter habita ratione eorum, quæ de contiguarum consonantium differentia pag. 23 et 24 continentur, statuo, eas universas in linguis slav. æque ac in aliis duplici mutari modo: generali sive omnium gentium communi et speciali sive Slavorum proprio et peculiari. Priore eorum acervi prorsus ineffabiles, altero autem alteri tolluntur e medio.

---

[208]) Qui cum vocali *l*, ut jam pag. 57 et 58 probatum est, adhuc utantur, consentaneum est, ut consonanti quoque eidem plerumque parcant. Slovini autem in Hungaria habitantes croato-serbici *o* quoque loco *l* participes sunt teste imprimis Miklosichio (I, 250). Ibidem nec non p. 323, 324, 361, 362 et III, 280, 534 invenies etiam pleraque ea, quorum hac in causa a me ratio habetur; reliqua autem jam supra in tuto collocata sunt.

Γ) Generalis consonantium mutatio.

Generatim mutantur contiguæ consonantes imperfecta assimilatione secundum eam legem, quam jam l. modo l. et pag. 37 quasi præteriens attigi ac in vulgus notam dixi. Operæ tamen pretium est de ea hæc quoque in medium proferre:

1) In mediis vocabulis slavicis tenues et mediæ consonantes non solum in proxime sequentium sed nonnunquam etiam in antecedentium speciem assimilantur, ut v. c. in russ. глубже et слабже, quæ e глубше et слабше efficta esse, jam Pavskij conjecit, Böhtlingk vero sine idonea causa negavit;[209]) in ruth. риздво, риздвляный et бджола vel бжола pro рижство, рижствляный et бчола, quibus pbulg. рождьство, рождьствьнЪıй et бъчєлꙗ vel пъчєлꙗ respondent; denique missis aliis in sorb. strovy et stva pro съдравъıй et истъба, quæ tamen etiam ѕдравъıй et иѕба leguntur atque imprimis ideo, quod

2) nec Slavi se abstinuerunt, quin interdum etiam consonantes inter se disjunctas legi ei, de qua disputo, accommodarent. Quod ut uno alterove exemplo magis firmetur, animadvertas velim, in antiquissimis quibusque linguæ bulg. monumentis præter ea tria vocabula, quæ modo ultima commemoravi, etiam дръголніє, ѕвиѕдъ, ѕъдати, ѕьдє, ѕлъѕа, ѕлѣѕєна et cet. juxta дръколніє, свистъ, съдати, сьдє, слъѕа et слѣѕєна reperiri;[210]) in pboh. autem dřiezha, dřiezhati, dřežděti et cet. juxta třieska, třieskati et třeštěti, quæ nunc sola vigent sed ita, ut *í* l. *ie* audiatur. Poloni contra adhuc habent drzazga unâ cum trzaska, bryzgać cum pryskać,

[209]) L. l. ad num. 32 pag. 50 et 51, præsertim cum ibidem penitus ignoraret ea exempla, quæ supra sequuntur. Miklosich (I, 359, 363, 508 et in Lexico it. ed.) contra eadem illa demto solo bdžola, quod æque ac bžola apud Buslajevum (Истор. грам. рус. языка. pag. 59) invenies, omnia protulit quidem sed vix animadvertit, consonantes eorum ita esse mutatas, ut hic traditur. L. enim prius l. p. 369, 499 et 513 de consonantium ruth. et sorb. assimilatione docens nullius illorum habet rationem Comparativos autem глубже et слабже ibidem penitus neglexit. Præterea in Lexico s. v. jistъba perperam posuit jstva pro stva. Ex eo enim, quod Sorbi superiores teste Pfulo aliisque *j* pro plerorumque Slavorum *i* ejusdem vocabuli post præpositiones, quæ vocalibus terminantur, ut in do jstvy, vo jstvje et cet. adhuc habent, summum hoc recte efficitur, apud illos quoque olim istva fuisse in usu atque ita, ut missis aliis apud populares meos imä, cujus vicibus nunc vocali *i* privatum et, ut in vulgus notum est, syllabâ *no* auctum meno constanter fungitur præter adverbium na-jmä, ubi *i* itidem diphthongi vel hiatus tollendi causa in *j* mutatum est. Qua de re præter ea, quorum pag. 42 memini, vide sis etiam mei Zvukosloví pag. VI et 43 vel Srovn. mluvn. p. 133 et Jungmanni lexicon s. v. jméno. Quo facto inter alia id quoque comperies, jmě pro имѧ apud Bohemos jam pridem obsolevisse contrariamque Miklosichii (III, 397) doctrinam nullo niti argumento. Ibidem p. 280 et 313 nec non in Lexico prius l. contra optimo jure statuitur, изба, stva et cet. germanicæ esse originis.

[210]) Teste imprimis Miklosichio (I, 218 et Lex. modo l.), qui tamen, cum l. prius l. p. 405, 443, 481 et 482 de consonantium nostrarum, pol. et russ. assimilatione doceret, ex iis vocabulis, ad quæ attinet, solum ździebło respexit. A Čelakovskýo (l. l. ad num. 55 p. 103 et 104) contra ea pleraque proferuntur eodem quo hic modo explicantur.

guzdrać się cum kustrać się; druzgać autem et druzgotać pro boh. tříškati et troskotati, ździeblo et źdźblo pro стьбло, boh. stéblo, zblo et cet. Nec populares mei carent verbis bryzgať, druzgať et druzgotať, quæ fere idem valent ac prskať, trieskať et troskotať. Idem dicendum est etiam de nostro drgať, de russ. брызгать, дрогать et cet. collatis cum trkať, прыскать et трогать.

3) In scribendo plerique Slaví legem assimilandarum consonantium generatim plus minusve negligunt, singillatim autem res hæc apud eos, ne longus sim, ita se habet:

Bulgari veteres, ut jam pag. 15 auctore Böhtlingkio, cui Miklosich (I, 211—218) suffragatur, retuli, secundum enuntiationem scribere solebant. Idem fit nunc ab A. et D. Kyriak-Cankovis (l. l. ad numerum 167) eorumque sectatoribus. Reliqui contra Bulgari, ut jam ad num. 132 annotavi, Russos imitantur. Idem existimandum est etiam de plerisque Ruthenis habita ratione vel eorum, quæ ad num. 118 et 164 allata sunt, ac de iis Serbis, quibus nec V. St. Karadžićii nec Croatarum scribendi ratio probatur.

Prior earum enuntiationi se accommodat et a bulgarica A. et D. Kyriak-Cankovi eo vel maxime differt, quod mediis consonantibus in extremis vocabulis plerumque parcit. Num id jure fiat an secus, alii viderint, memores imprimis vocabulorum drozak, mazak et mozak, quorum duo priora etiam drozd et masak dicuntur conferendaque sunt inter alia cum pbulg. дрозгъ et дрождъ, мьзгъ et мьскъ, ultimum autem cum мозгъ, мозкъ et москъ. Ego hoc loco satis habeo iis, quæ supra ad lit. C præcipiuntur, adjicere, consonantes nec a Karadžićio nec a Kyriak-Cankovis unquam geminari.

Croatica, slovinica, sorbica et slovacica scriptio adhuc fluctuant. Vix igitur dignæ sunt, de quibus hoc loco plura in medium proferantur quam quod etymologiâ magis quam enuntiatione regantur. De tribus reliquis contra idem etiam probandum est atque ita, ut pateat, bohemicam hac re nonnihil præstare russicæ, hanc autem polonicæ.

Bohemi enim, ut jam alio loco perscripsi, [211]) legem assimilandarum consonantium in scribendo rarissime servant, ut v. c. in mázdra, nozdra, zde, po-zdě, vždy, zeď, zdráv et cet. pro másdra, nosdra, sde, po-sdě, všdy, seď et sdráv; nec non in máslo, masť, veslo, povříslo, déšť, nátcha vel nátka, tchoř et cet. pro mázlo, mazť, vezlo, povřízlo, déžď, nádcha et dchoř. Huc item refer *c* numeralium jedenáct usque devatenáct, dvacet usque čtyřicet, quæ tamen a quibusdam adhuc etiam per *ds* scribuntur idque recte, per *dc* contra ineptissime, h. e. et etymologiâ et enuntiatione neglecta. Idem peccant omnes Bohemi scribentes kdo, ni-kdo et cetera, cum in iis nunc, ut in vulgus notum est, *gd* audiatur, etymologia autem pristinum *kt* exigat. In scribendis autem acervis *dč*, *tč*, *ds*, *ts*, *řc*, *řč*, *řs*, *čs*, *šs*, *žs* et aliis quibusdam jam etymologiam jam enuntiationem respiciunt itaque secum ipsi pugnant, ut in svědčiti, pastýřský et pastýřství collatis inter alia cum stačiti, rci et rčení, ut jam ad num. 177 et pag. 77 probatum est. Ceterum plurima inconstantiæ ejusmodi documenta sunt in iis vocabulis, quæ suffixis *ský*, *stvo* et cet. formantur, cum ibidem *s* et ultima stirpium elementa jam serventur, ut in božský, božstvo, kněžství, lidský, mužský, tovaryšství, vévodství et ceteris;

[211]) Srovn. mluvn. jazyka čes. a slov. pag. 141, 142, 165, 219 et 245. Præterea consule sis etiam Šafaříkium (l. l. ad num. 152 pag. 23) et Miklosichium (I, 217, 218, 404, 405, 443 et missis aliis Lexicon it. ed. s. v. тъchorь).

jam convenienter enuntiationi negligantur, ut in bohactví, český, děcko, katolický, kupectvo et cet. Nequit denique negari, quin Bohemi præpositiones imprimis *s* et *z*, quæ cum pbulg. съ et изъ conferendæ sunt, in compositis vocabulis sæpius inter se confundant; *z* autem, quo прѣзъ prædita est, ubique cum *s*, přes, perperam commutent, præsertim cum id nunquam faciant ceteris, quæ sunt bez, roz, vz et skrz respondentque pbulg. безъ, разъ, възъ et сквозѣ, ubi tamen etiam к l. р et ь l. ѣ frequens est.

Russi præter мяздра, de quo vide sis ann. 188, ноздря, здѣ-сь, по-здо vel по-здно, вездѣ, зданіе, здоровъ, масло, мастъ et весло scribunt etiam гдѣ, когда, тогда et cet. pro кдѣ, кокда et токда; береста pro берёзта, прыткій pro прыдкій, ut missis aliis e прѧдьнъıй vel e pol. prędki et nostro prudký nullo negotio colligitur; ѣшь et ѣшьте pro ѣжь et ѣжьте, ижды et идите; вос, ис, нис et рас pro воз, из, низ et раз in compositorum vocabulorum commissuris, ubi ceterum без et через intacta relinquentes secum ipsi pugnant. Idem peccant scribentes interdum *c* l. *ts* et *čs*, *č* autem l. *dš*, ut in Полоцкъ et почва, quorum jam pag. 69 et 70 memini; in купецкій, нѣмецкій et cet. comparatis ad чешскій, русскій, Свіяжскъ et quæ sunt reliqua. Denique absurdum acervum *dc*, quod sciam, plerique scriptores russici tribuunt adhuc numeralibus одиннадцать usque девятнадцать, двадцать et тридцать.[212])

Poloni præter miazdra, nozdrze, po-źno pro po-ździno, zdrów, gdzie, gdy, masło, maść, wiosło, powrosło, deszcz, juxta quod tamen deżdż quoque viget, et tchórz scribunt etiam tchu, tchnąć, tchnienie et cet. pro dchu, dchnąć et dchnienie; gryść, grząść, léść et wieść pro gryźć, grząźć, léźć et wieźć; gwoli pro kwoli, korczak pro korczag et кръчагъ, nieboszczyk pro nieboźczyk, cum nullum sit dubium, quin vocabulum id Linde aliique perperam referant ad niebo pro niebogi, небогъ et ceteris. In iis quoque vocabulis, quæ in *stwo*, *ski* et cet. cadunt, scribendis magis se accommodant enuntiationi quam Bohemi et Russi, ceterum autem idem peccant ac hi servato acervo *dc* in numeralibus, quorum supra memini. Illi enim ibidem *ds* vel *dźs* cum *dz*, *ts* contra vel *ćs* æque ac *čs* cum *c* commutant, reliquas autem sibilantes ante *s* plerumque omittunt, ut in boski, bóstwo, czeski, katolicki, księstwo, kupiectwo, męski, towarzystwo; bogactwo, dziecko, ludzki et województwo, quibuscum confer sis bohemica supra allata et pro certo habeto, *dz* ante *k* et *t* nec a Polonis aliter dici quam *c*. Denique ii confusione præpositionum *s* et *z* facile præstant inter omnes Slavos, in ceteris autem scribendis minus sibi constant quam Bohemi et Russi, cum constanter habeant wskroś l. wskroź, wz autem ante solas tenues in ws mutent, ut in ws-krzesić, ws-pomnieć, ws-paniały et ceteris; a bez contra, przez et roz itidem mutandis prorsus se abstineant. Przespolny enim jam pridem obsolevit et *s* l. *z* in rozkosz ceterisque vix cuiquam amplius probatur.[213])

---

[212]) Ceterum pleraque ea, quorum hic ratio habetur, nec apud Miklosichium (I, 405) nec apud Buslajevum (Опытъ pag. 52 et 53. Историч. грамм. p. 58—61) inveniri, certum quidem est, at nihil refert, cum aliunde satis superque pateat, ea ita se habere, ut hic proferuntur.

[213]) Ceterum ea, quibus hoc loco Miklosichii (I, 481 et 482) et Małeckii (l. l. ad num. 48 pag. 42, 43, 383 et sequ.) præcepta eadem de re supplentur, prorsus ita se habent ut prius annotavi.

II) Specialis consonantium mutatio.

Perfecta assimilatione consonantes nostras nunquam mutari, jam supra (p. 22, 76 et 77) ratione et usu, ut puto, satis probavi. Dissimilatione contra nec non elisione eaque simplici, adjectione et trajectione idem longe sæpius fit quam aliis modis. Ut igitur propositum servem, satis habeo illos solos paucis illustrare atque ita, ut simplicissimi eorum seu trajectio literarum et elisio præcedant, adjectio autem et dissimilatio sequantur.

1) Trajectio.

Trajectione imprimis acervi LK, RK, LG, RG cet. vitantur idque a Bulgarorum majoribus tam diligenter, ut in eorum vocabulis liquidæ consonantes *l* et *r* æque ac *m* et *n* ante alias rarissime inveniantur. Quod quidem jam Miklosich (I. 64—70 coll. cum 181—184) vidit ac tot tantisque probavit exemplis, ut satis habeam iis, quæ posteriore loco leguntur, ex ejusdem Lexico iterum edito hæc sola adjicere: **клакъ**, **клεврѣтъ**, **раслапъ**, **роусагъ**, **катрѣга** et **скрапий**, quorum duo priora e lat. calx et collibertus, tertium e turc. arslan, quartum e magy. ország, reliqua autem e gr. *κάτεργον* et *σκορπίος* efficta esse, facile concesserim.

Reliqui Slavi, præsertim cum in mutandis elementis pbulg. **лъ**, **ль**, **ръ** et **рь** eo, quem jam pag. 50—63 et 78 paucis descripsi, modo versentur, liquidas consonantes *l* et *r* ante alias generatim minus aversantur quam Bulgari veteres, singillatim autem Serbi hac re nonnihil cedunt Croatis, Slovini Bulgaris, Slovaci Bohemis, Sorbi Polonis et Rutheni Russis. Vix præterea avertor a vero statuens, eos hac re a veteribus Bulgaris eodem ordine, quo nunc ipsum nominati sunt, distare. At utcunque se hæc habent, in eo tamen, quod nosse nostrâ nunc plus interest, assentiendum est Miklosichio pro comperto habenti, in recentioribus linguis nostris præter ea *l* et *r*, quæ vicibus elementorum **лъ**, **ль**, **ръ** et **рь** funguntur, alia ante consonantes nisi ægerrime non tolerari (I, 251, 288, 326, 360, 395, 435, 468 et 508). Cum insuper inter omnes linguarum nostrarum gnaros constet, posteriora *l* et *r* in iis quoque longe esse frequentiora quam priora, concedendum est, etiam nos acervis in *l* et *r* cadentibus adhuc magis delectari quam contrariis, horum igitur odium nobis cum veteribus Bulgaris commune esse. Cujus rei indicium insigne atque argumentum me judice certissimum in eo cernitur, quod Sorbi, Poloni, Rutheni et Russi, etsi acervorum ab *l* et *r* incipientium usu longe præstant inter omnes Slavos, nequaquam tamen se abstinent, quin interdum iisdem illis acervis præferant contrarios. Quod ut uno alterove exemplo illustretur, meminerimus, a Sorbis superioribus vocabula germ. Karl et marka teste Pfulo in kral et mroka detorta esse, in markhrabja contra, quod e markgraf effictum est, æque ac in compluribus aliis vocabulis acervum *rk* ceterosque incolumes servari. Poloni pro kral habent król, cui adde sis Lindeo suffragante slnąć się vel szklnąć się, quod unâ cum lsnąć et lsknąć się viget ac sine ulla dubitatione ad stirpem **льск** referendum est; denique mrużyć, quod, ut mox magis patebit, e mżurzyć detortum est. E lingua ruth. huc referenda sunt auctore Osadca[214]) семпара et шевлія, quorum priori russ. сермяга vel сѣрмяга et pol. siermięga respondent, alterum autem

[214]) L. l. in ann. 49 pag. 38 et 39, ubi etiam reliqua ruth. vocabula, quorum hac in causa ratio habetur, invenies.

etiam шельвія scribitur certeque e lat. salvia ortum est; e lingua denique russ. imprimis жрецъ, quod, ut jam pag. 69 tradidi, juxta жерцъ viget respondetque pbulg. жрьць.

Ceterum nec Bulgari veteres nec reliqui Slavi se continuerunt, quin acervorum quoque in *l* et *r* cadentium elementa nonnunquam trajicerent itaque eam Smithii sententiam, quæ ad num. 161 legitur, facto comprobarent. In antiquissimis enim quibusque linguæ bulg. monumentis præter гавранъ et коприва non raro legitur etiam гарванъ et кропива. Bulgari nostri, si Kyriak-Cankovis[215]) fidem habere vis, solis garvan et kopriva contenti sunt, loco чловѣкъ dicunt čolêk et čelêk, pro трѣзвъ autem tъfrês, quod ex etymologia tъvrêz scribendum est. Definitæ ejusdem adjectivi formæ Rutheni тверезый et quidam Russorum тверезный jam diu substituunt, cum jam Sbornik anni 1076 contineat истверезении.[216]) Recentioribus tamen scriptoribus russ. solum трезвый et трезвъ, cujus *e* ad num. 184 reprobavi, arridet. Slovini teste Murkone præter kopriva habent adhuc etiam kropiva et missis aliis gaber, quod mobili *e* præditum est respondetque nostro et pboh. hrab, boh. habr, pol. grab, russ. грабъ cet. Bohemi præterea constanter jam dicunt etiam provaz pro nostro et pboh. povraz, pbulg. поврязъ et quæ sunt reliqua; ratolesť contra commune est iis nobiscum pro pboh. lětoroslǐ, lětoraslǐ, lětorost et lětorostǐ, pbulg. лѣторасль et лѣтораст'ль.[217]) Huc denique missis aliis refer pol. pokrzywa, quod teste Lindeo pro koprzywa solum est in usu, et pchła demto gen. pl. płech, in quo, ut jam pag. 62 quasi præteriens attigi, consonantes adhuc pristinum obtinent locum; serb. селдати et селдо usitata teste Karadžićio juxta седлати et седло, nec non ruth. кирниця et колоппѣ, quæ tamen etiam pristino literarum ordine servato, h. e. криниця et коноплѣ scribuntur.

Longe rarius mutantur trajectione alii consonantium acervi, ut **DV** et **DVR** in ruth. ведмѣдь, quod tamen etiam pristino literarum ordine seu медвѣдь scribitur, in pol. drzwi et pboh. dřvi pro двьри; **SV** et **SVT** in bulg. sъvne sъ pro свьнеть сѧ et in pboh. stvieti se, cui nunc stkvíti et skvíti se præferuntur respondetque pbulg. свьтѣти сѧ, quod nec radice nec principali significatione quidquam differt a priore, quippe cujus *t* ante *n*, ut mox pluribus dicturus sum, elisum sit;[218]) **ŠV** in pol. szwiec et sorb. ševc, pro quorum priore olim szwiec

---

[215]) L. l. ad num. 167 pag. 155—217. Ibidem, nisi aliter annotavero, quærenda sunt omnia bulg. vocabula, quæ posthac explanaturus sum. Ceterum confer ann. 220.

[216]) Quod jam etiam in Miklosichii lexico iterum edito, тверезный autem in Опытъ, cujus ad num. 182 memini, legitur.

[217]) Sub quo l. prius l. ratolesť ægerrime desideratur, cum id solum nunc vigere, e Jungmanni lexico ipso satis patet. Ibidem et apud Šafaříkium (Počátkové stčes. mluvn. p. 27) invenies argumenta probantia, Miklosichium (I, 444) de universa quoque nostrarum et boh. literarum metathesi parum subtiliter docuisse.

[218]) Ceterum veri simillimum est, apud veteres quoque Bulgaros sьvtěti æque ac dьvri fuisse in usu. Miklosich (I, 223) enim dьvrьnъ et sьvtę profert et vix æquum est ea vocabula ideo, quod non constat, unde exscripta sint et cur in ejusdem Lexico desint, in dubitationem vocare. Denique stvieti se ad svьtěti sę ita, ut supra docetur, referri, ille vix unquam conjecit, ego autem abhinc octo annos (Srovn. mluvn p. 285) et Šafařík antea (l. l. ad num. priorem et 223) certe non novimus.

certe erat in usu, švec contra loco alterius vix unquam, ut jam vel ex iis, quæ pag. 74 et 75 hac in causa continentur, colligere licet; **ZVN** in pboh. vznieti usitato juxta znieti, quod æque ac nunc solum vigens zníti spirante *v*, ut jam Jungmann recte conjecit, levatum est; **NV** in croato-serb. žrvanj et žrvan, quæ mobili *a* prædita sunt et simillima pbulg. жрънвнь usitati juxta жрънъвъ, ubi æque ac in Žrnovnica, quod teste Karadžićio nomen fluvii est, consonantes pristinum obtinent locum; **CV** et **KVT** in bulg. сънть, quod сънть dicitur, et in croato-serb. cavtim, juxta quod tamen eodem ac Daničićio[219]) teste etiam cvatim et cvatem vigent et unâ cum pboh. ktvu, quod nunc kvetu et perperam květu dicitur, ad цвьтѫ referenda sunt; **VS** in serbo-croat. sav, sva, sve, svagda aliisque ejusdem generis, quæ, ut in vulgus notum est, ad вьсь referuntur; præterea in квасъ, de quo vide sis pag. 36 et 37 animadvertasque velim, concessis iis, quæ ibidem traduntur, sequi, ut etiam хватити æque ac boh. kvapiti et quæ sunt reliqua trajectione acervorum **VT**, **VP** cet. explicentur; **KS** et **KŠ** in bulg. Aleski, Aleskander cet. usitatis teste Šafaříkio pro Alexius et Alexander;[220]) in воскъ, quo omnes Slavi et Litvani adhuc eodem consonantium ordine servato utuntur pro germ. wachs;[221]) поушька contra, quod jam Linde ad gr. πυξίς, germ. büchse cet. recte retulit, soli Croatæ et Slovini præter puška etiam pukša dicunt; **BČ** in slovin. čbela, quod teste Murkone etiam čmela, bučela, bčela, pčela et čela enuntiatur pro бъчела et пъчела, quorum jam pag. 79 memini; **MH**, **MHL** et **MŽ** in pluribus eorum vocabulorum, quæ a мьг ducta sunt et quorum nonnulla jam in Miklosichii Lexico s. v. мьгнѫти proferuntur, ut in boh. hmouřiti, quod juxta mhouřiti est in usu respondetque nostro žmúriť, russ. жмурить, serbo-croat. žmuriti et missis aliis pol. mrużyć, præter quod etiam żmurzyć viguisse, præ ceteris nomen myindæ žmurek in comparatione ad obsoletum mrużek testatur; in boh. mlha et nostro hmla, in пожьмарити, in slovin. žmati cet. usitatis juxta mhla et mha, помьжарити et mžati; **KM** in stirpe kamen, quæ pro litv. akmen, sanscr. açman cet. omnium Slavorum communis est;[222]) **MK** in nostro

---

[219]) Облици српскога језика. У Биограду 1863. pag. 67.

[220]) Slovanský národopis. V Praze 1849. p. 43 et 44. Cum ibidem inter alia gardina quoque et starna, quæ auctoribus Kyriak-Cankovis gradinъ et stranъ dicuntur, proferantur cumque etiam ex iis, quorum p. 51, 52 et 64 memini, colligere liceat, Bulgaros nostros in collocandis consonantibus *l* et *r* inconstantes esse, dubitandum est, num solo garvan utantur.

[221]) Bulgari enim dicunt osъk, Croatæ et Serbi vosak, Slovini vosek, vojsk et vosk, Sorbi vósk, reliqui Slavi omnes vosk, Litvani autem teste Miklosichio (Radices linguæ sloven. vet. dialecti. Lipsiæ 1845. p. 11) vaskaз, pro quo apud Schleicherum constanter reperies vaszkas (Die formenl. der kirchenslaw. spr. p. 134 Handb. der lit. spr. II, 336) — num jure an secus, alii et in his ii, qui de vocabuli ejusdem origine disceptaturi sunt, viderint.

[222]) Ut inter omnes linguarum comparandarum magistros constat. Kamna, quod antea eadem in causa (l. l. in ann. 41 pag. 137) duce Schleichero (Die formenl. der kslaw. spr. p. 97) cum sanscr. açmanta contuli, nunc de industria prætereo, cum pro comperto habeam, vocabulum illud æque ac komnata, komín et quæ sunt reliqua in linguam boh. ex aliis sine ulla consonantium trajectione immigrasse. Idem videtur sentire Miklosich de pbulg. kamina et iis vocabulis, quæ in illius Lexico ad hoc referuntur, inter quæ tamen bohemica cum aliis quibusdam desiderantur.

žmîkať pro žîmkať, cujus *k* prorsus congruit cum eo, quo missis aliis boh. žvýkati et slovin. žvekati prædita sunt; *žím* autem e жьм auctione vocalis ь in *í* ortum est;[223]) NB in boh. znobiti pro zonbiti, quod ego, nisi fallor, primus a ꙁѧб ductum esse putavi; KT, HT, TH et DG in croato-serb. tko, quod, ut inter omnes constat, unâ cum ko l. къто viget; in mor. pahnost et ruth. пагнôсть, quorum prius pro boh. pazneht, alterum autem juxta пазнôгть vigere respondensque iis pbulg. пaꙁногъть etiam per *k* l. *g* scriptum esse, Jungmann, Osadca et Miklosich testantur; in bulg. veht, de quo vide sis pag. 64 animadvertasque velim, vicibus ejus apud Serbos in Hercegovina habitantes teste Karadžićio aliisque vegd, apud reliquos autem et Croatas vet, vetah et vedah fungi. Quapropter acervum *gd* supra silentio prætereundum duxi.

Idem facio hoc loco pluribus aliis acervis, præsertim cum non dubitem, quin etiam ii soli, quos nunc ipsum percensui, ad id quod mihi proposueram probandum sufficiant, si cum Bulgarorum veterum propriis, quos pag. 27—33 continet, accuratius conferantur. Eo enim facto inter alia hæc quoque comperies: primum præter *dv*, *sv*, *šv*, *cv* et *km* reliquos horum acervorum omnes, qui sunt *dvr*, *svt*, *zvn*, *vn*, *kvt*, *vs*, *vt*, *vp*, *ks*, *kš*, *bč*, *mh*, *mhl*, *mž*, *mk*, *nb*, *kt*, *ht*, *th* et *dg*, in illorum numero deesse; deinde trajectione eorum plures ortos esse tales, qui cum usitatis apud Bulgarorum majores congruunt, ut *vr*, *mr*, *ml*, cujus tamen *l* in vocabulis, ad quæ attinet, vicibus vocalis fungitur, *kv*, *chv*, *sv*, *zn*, *dm*, *žm*, *sk*, *st*, *čb*, *gd*, *skv* et *stv*, quam contrarios, ut *vn*, *vt*, *vc*, *šk*, *tk*, *ht*, *mh*, *hml*, *dřv*, *vzn* et *stkv*.

2) Elisio.

Elisionis habita loci, ubi fieri solet, ratione, ut in vulgus notum est, tres distinguuntur species: aphæresis, ecthlipsis vel syncope et apocope, quarum singulas tractaturus geminatas consonantes directe non amplius respiciam sperans fore, ut ea, quæ hac in causa pag. 76 et 80 continentur, ad id quod volo consequendum sufficiant.

a) Aphaeresis.

Acervos in *l* et *r* cadentes apud Slavos generatim aphæresi longe minus obnoxios esse quam alios, vel ex iis, quæ de illorum metathesi jam tradidi, conjicere licet. Atque profecto in lingua pbulg. et russ. vix invenies ullum vocabulum, quod huc tuto referri possit, præterquam si eas cum aliis indoeuropæis contuleris aut cum Šafaříkio pro comperto habueris, stirpes льск et бльск, quibus russ. vocabula лоскъ et блескъ missisque aliis boh. lesk et blesk nituntur, sola acervi BL aphæresi inter se differre.[224]) A reliquis contra Slavis eâ horum quoque acervorum nonnulli certe mutilantur, ut BŘ, KL et ChL in boh. řinkati, lopotiti se et leptati, pol. łeptać, præter quæ tamen etiam integra břinkati, klopotiti se, chleptati et

---

[223]) Ut jam Šafařík (Čas. mus. 1846. p. 429) re ipsa spectata recte conjecerat, ego vero per omnia satis probasse mihi persuadeo (Srovn. ml. p. 258). De znobiti autem, quod ibidem, cum brevis esse laborarem, ne attigi quidem, vide sis mei Zvukosloví pag. 38.

[224]) L. prius l. pag. 416. De luza, quod ibidem pari modo ad hluza refertur, vide sis Jungmanni lexicon, de řinkot autem et pbulg. наръ ea, quæ supra sequuntur.

chłeptać adhuc sunt in usu l. **брацати, клопотити ся** et **хлепътати**; **ChR** et **SL** in pol. robak et łza pro pristinis chrobak et slza, a quibus nostra et boh. chrobák ac slza solis vocalibus *á* et *l* discrepant.[225]) Cujus quidem mutationis Sorbi quoque participes sunt. Superiores enim eorum robačnik, ut puto, pro chrobačnik dicunt et, quod prorsus certum est, **HR** et **HL** pari modo non semel mutilant, ut missis aliis in raň et łos pro hraň et hłos, quibus Sorbi inferiores *g* l. *h* tribuunt; pro illorum autem sylza vel pro pristino słza hi præter łza etiam łdza, dza et za habent, denique utrique eorum **VL** et **VR** sæpe levant spirante *v*, dicentes v. c. łokno et robl vel robel pro włokno et vrobl. Slovini acervo *vl* idem multo libentius faciunt quam Croatæ et Serbi, cum scribere quoque malint v. c. ladati, las et lah quam vladati, vlas et vlah.[226]) Bulgari contra acervos *vr* et **HL** itidem longe rarius mutant quam priorem eorum Sorbi, alterum autem Serbi. Demtis enim rapče et lêp pro vrabče et hlêb nullum aliud novi bulg. vocabulum, quod huc tuto referri possit.[227])

Quod autem ad alios consonantium cumulos attinet, ab iis aphæresi mutilandis Bulgari veteres, Bohemi, Poloni et Russi diligentius se abstinuerunt quam reliqui Slavi. De **напъ** (mercenarius) enim, num a Šafaříkio jure referatur ad germ. knappe, dubito, præsertim cum **KN** in principiis quoque vocabulorum pbulg. satis frequens sit et, quod plus valet, naръ tam a knappe quam a knap, quo præter Bohemos et Polonos etiam populares mei utuntur, significatione haud parum differat. Neque satis constat, quæ sit ratio acervi **GN** in **гнѣтнти** comparato ad boh. nítiti, pol. niecić cet. **DH** contra in russ. хорь pro **тъхорь** et pristino **дъхорь** (cf. ann. 211) certe aphæresi exolevit. Idem accidit inter alios his quoque acervis: **DC** et **DĆ** in pboh. dci, cujus *d* æque ac nunc usitati dcera certe mutum est, in ppol. cora, cui nunc córka præfertur, et in serbo-croat. ći, de quo vide sis pag. 77; **DŠT** et **DŠČ** in serb. штица, juxta quod tamen etiam дашчица pro даштица et **дъштица** adhuc viget, et in russ. чанъ, quod in acad. Lexico etiam тчанъ, тшанъ, дсчань, дщанъ et дощанъ scriptum est referendumque unâ cum prioribus et sine ulla dubitatione ad **дъска**; **TŠT** in bulg. štetъ et serbo-croat. šteta pro

---

[225]) Słza a Miklosichio (I, 480), nisi fallor, primo eadem in causa e Psalterio r. Margarethæ prolatum est, in altera igitur Lindeani lexici editione ægre desideratur. Apud Małeckium (l. l. ad num. 48 p. 49) etiam sełza et załzy leguntur — jurene an secus, alii viderint meminerintque inter alia etiam eorum, quæ de pbulg. slъza et zlъza pag. 79 præcepta sunt. Reliqua contra pol. et boh. vocabula, ad quæ annotatio hæc refertur, non aliter quam supra afferuntur se habere, Linde et Jungmann, ut par est, l. l. testantur. Ibidem et in reliquis lexicis, quibus usque ad id usus sum et ad quæ proprie etiam l. l. ad num. 215 accedit, quærenda sunt omnia ea vocabula, quæ posthac sine ullo auctore allaturus sum.

[226]) Cujus rei proxima causa certissime in eo sita est, quod Slovini et Sorbi *l* eo, quem jam pag. 52, 53, 62 et 78 indicavi, modo longe magis depravarunt quam Croatæ et Serbi, geminatarum autem consonantium odium omnium Slavorum commune esse, jam diu liquet.

[227]) Lêp apud Kyriak-Cankovos frustra quæres, apud Miklosichium (I, 294) contra lêb et in bulg. linguæ transilvaniensis, de qua vide sis imprimis ann. 97 et 140, monumentis liab et lyab certe invenies.

тъштєта;[228]) STR et STŘ in boh. třemen vel třmen, quod tamen etiam cum *stř*, a Sorbis contra superioribus constanter třmjeň dicitur pro стрѣмєнь; in pol. trzmić et trznadel, quod etiam trzynadel et trznadl scribitur ideoque pag. 72 respiciendum erat, a Sorbis autem inf. in třnarl detortum est, in comparatione ad стрѣмити et ad nostrum strnadel', boh. strnad ac missis aliis ad sorb. sup. sknadź, quod ceterum e strnadź effictum esse, mox magis patebit; in boh. třapec, třeček, třez, třízlík et pluribus aliis, quæ tamen a pristino *stř* quoque adhuc incipiunt æque ac ea, quorum principium olim *čř* erat quibusque Poloni nunc, ut jam pag. 77 probatum est, solum *tř* tribuunt; denique præter třmjeň et třnarl etiam in aliis vocabulis sorb. iisque plurimis, præsertim cum constet, a Sorbis sup. *str* et *stř* in mediis quoque et extremis vocabulis plerumque spirante *s* levari, inferiores autem ex ea lege, cujus jam pag. 62 memini, solo *tř* contentos esse, ut v. c. in třach, třuga, třeliś, šotřa cet. pro sorb. sup. trach, truha, třělić, sotra et pro страхъ, строуга, стрѣлити, сєстра; PS, PŠ et PČ in serbo-croat. salam et saltir, šenica et čela, quorum duo priora cum boh. žalm et žaltář eo, quem mox magis illustraturus sum, modo e psalmus et psalterium effícta sunt, tertium præter pšenica etiam všenica dicitur, quartum denique apud Slovinos unâ cum iis, quorum jam pag. 84 memini, apud populares autem meos juxta včela est in usu; PSTR in sorb. sup. struha vel truha pro pstruha missisque aliis pro nostro et boh. pstruh; VS, VŠ, VZ, VŽ et VČ in bulg. se, seki et reliquis ad вьсь (omnis) referendis, præterea in zemъ, zimam cet. pro възьмѫ et възимѧѩ; in slovin. zbuditi, zrok, že cet. pro vzbuditi, vzrok, vže; in nostro šepleta et čela pro všepleta et včela, in pol. zacny, quod e boh. vzácný sine ulla necessitate neglectoque pol. more loquendi effictum est;[229]) denique, ut alia prætercam, in sorb. sup. sy, šitkón, ždyn et čera, quorum tamen *v* æque ac eorum, quæ ab *l* et *r* loco *vl* et *vr* incipiunt, post præpositiones vocalibus terminatas, plerumque revertitur, a Sorbis autem inf. interdum etiam in *j* mutatur,

---

[228]) Num etiam boh. šti-troba directe, ut missis aliis Jungmann putat, huc pertineat, dubium est, præsertim cum čti-troba quoque dicatur, *št* autem l. *čt* apud Bohemos quoque interdum audiatur, ut v. c. in čtvrtek, cujus jam pag. 75 memini et infra quoque rationem habiturus sum. Certissimum contra est, šti et čti nec non *č* adverbii na-č-vutrobu, quo Sorbi superiores adhuc utuntur, pbulg. stirpi tъšti, a qua inter alia etiam tъštij, quod pag. 76 continet, ductum est, respondere; troba autem ex utroba aphæresi, vutroba contra prosthesi primo hiatus tollendi causa (cf. p. 41—43) exstitisse, denique vutroba pro pbulg. ątroba adhuc vigere, utroba vero exolevisse.

[229]) Vernaculum enim optimeque formatum wzięty fere idem significat ac vzácný, istud autem Polonis in wzięcny mutandum erat, præsertim cum constet, primum præpositionem *vz*, pbulg. vъzъ, ante vocales nec a Polonis aphæresi mutilari; deinde *á* in vzácný æque ac missis aliis in definito participio præt. pass. vzatý, cui pol. wzięty et pbulg. vъzętyj respondent, ex *im* ad eam legem, de qua mox pluribus, ortum esse; postremo plane nihil obstitisse, quominus *cn* a Polonis intactum relinqueretur. Præterea animadvertas velim, vzácný ad pbulg. vъzęštьnyj, quod ceterum ab usitato jizęštьnyj sola præpositione differt, referendum esse; et in russ. изящный quoque duo inesse vitia, quorum unum in eo consistit, quod ъ, quo изъять instructum est, in vocabulo illo desideratur; alterum autem in *šč* situm est, cum, ut mox explicaturus sum, Russos l. pbulg. *št* simplici *č* æque ac Bohemos et Polonos suo *c* contentos esse oporteat.

ut v. c. in ze jsy pro sorb. sup. ze vsy;[230]) **VD** in bulg. dovicъ et nostro dovica pro вьдовица; in nostro dudok, boh. dudek et dedek, pol. dudek cet. pro въдодъ, russ. вдодъ, præter quod tamen, ut mox magis patebit, etiam удодъ est in usu; **BD** et **PT** in serb. деније et тица nec non in sorb. tačk et tašk pro бъдѣние, път-ица, -дъкъ et -шькъ; **GD** et **HD** in bulg. dulь pro gdulь vel bdulь secundum ea, quorum pag. 27 et 28 memini; præterea in de pro где, cui ibidem къде optimo jure præfertur, apud Croatas autem et Serbos præter dě etiam gdě respondet, apud Sorbos sup. contra solum dźe, quod proxime et secundum hdźe seu ita exstitit, ut missis aliis dyž e hdyž, quod ceterum non ad когда-же sed ad inusitatum къдъі-же æque ac boh. když referendum est.

Denique ad id quod mihi proposueram probandum animadvertas velim, apud Bulgarorum majores horum quoque acervorum tantum quatuor: *kn*, *gn*, *str* et *stř* certe fuisse in usu atque ita, ut ultimi eorum *ř* sine ullo sibilo diceretur ideoque ad russ. molle *r*, de quo vide sis ann. 180, proxime accederet.

b) Ecthlipsis.

Ecthlipsi vel syncope permulti mutilantur consonantium nostrarum acervi et in his **DL**, **TL**, **DN** et **TN** ita, ut linguæ slavicæ idcirco in duas dividendæ sint classes, quarum una bulgaricam, croaticam, russicam, serbicam et slovinicam; altera autem bohemicam, polonicam, slovacicam et sorbicam complectitur. Priores enim earum, demta sola slovinicâ, *d* et *t* ante *l* participii præt. act. constanter elidunt, posteriores contra *d* admodum raro, *t* vero nunquam. Ultima harum sententiarum Miklosichio vix probatur, cum, nisi fallor, adhuc pro comperto habeat, rosł, quod Polonis cum Sorbis inf. commune est, proxime et secundum rostł exstitisse.[231]) Atqui tantum abest, ut id concedi possit, ut plurima contrarium postu-

---

Denique de modo, quo jizęštьnyj ortum sit, consule sis Miklosichium (Lexicon s. h. v. et l. l. ad num. 71 pag. 48 et 56), ubi tamen ne russ. изящный quidem respicitur; alioqui pro comperto habeto, изящный quoque pol. more loquendi servato zięcny non zacny, bohemice autem zácný dicendum esse.

[230]) Teste Miklosichio (I, 496 et 510), ubi tamen ždyn, quod e Pfuli lexico exscriptum est et ad pbulg. vьsь (omnis) demto epithetico *n* prorsus eodem quo plebis boh. proprium ždy pro vždy modo refertur, deest. Præterea meminisse juvabit, ibidem (p. 501 coll. cum 506) præcipi, a Sorbis inf. pristinum *i* quoque sub eadem conditione instar *j* restitui dicique v. c. do jspy, ze jspy cet. pro sorb. sup. do jstvy, ze jstvy. Plane igitur nihil est, cur cum Miklosichio (I, 499) cuncteris sorb. sup. stvica pbulgarico -jistъbica in æquo ponere, iis autem, quæ a me contra illius jstva ad num. 209 in medium proferuntur, assentiri.

[231]) Kćel contra, quo Sorbi sup. loco sorb. inf. kvitł et missis aliis pro boh. kvetl utuntur, non amplius ad kćctł sed, ut par est, ad kvićeł refert (I, 473, 495 coll. cum III, 497, 536 et 568). Quod autem ad *d* attinet, eo tantum hæc alterius classis participia certe destituta sunt: nostrum jel et sorb. inf. přéł usitata juxta jedol et přédł l. boh. jedl et předl; nostrum šiel, boh. šel, sorb. sup. šoł et inf. šeł pro pol. szedł, cujus tamen *d* unâ cum *e* mobili evanescit, ut in szła, szło cet. Boh. jel contra et sorb. jéł in dubio relinquere oportet ob ea, quorum in proxima ann. mentio fit. Denique Slovini, qui ad septemtriones et occidentem sunt, auctore im-

lent.[232]) At utcunque se hæc habent, id tamen prorsus certum est, rosł, si re vera e rostł natum est, iis vocabulis, quæ, ut mox magis patebit, ecthlipsi acervi *stl* mutata sunt, annumerandum esse. Ceterum nec Miklosich dubitat, quin in formandis vocibus universis altera linguarum nostrarum classis *dl* et *tl* hoc modo longe invitius mutet quam prior.[233]) Eadem est generatim acervorum quoque *dn* et *tn* ibidem ratio, præsertim cum constet, a Bohemis, Slovacis et Polonis in conjugandis verbis II classis *d* et *t* post vocales prorsus intacta relinqui, a Sorbis vero solum *d* sæpe elidi, ut in kranyć — křanuś et panyć — panuś; a reliquis contra Slavis idem etiam tenui *t* fieri atque ita, ut Russi hac re aliquanto propius accedant ad Bulgaros veteres quam horum posteri cum Croatis, Serbis et Slovinis.[234])

Ut ea, quæ de aliorum acervorum syncope præcipienda sunt, in pauca conferri possint, hæc duntaxat semel præponenda mihi videntur: 1) ante suffixa eorum aoristorum, qui a radicibus in consonantes cadentibus nulla vocali intercedente ducuntur, præter *d* et *t* etiam *k*, *g*, *p*, *b*, *s* et *z* simpliciter evanescunt, vocales autem radicum propriæ plerumque augentur

---

primis Miklosichio (I, 253 et III, 204) *d* in participiis ejusdem generis incolume servant, *t* vero in *d* mutant, dicentes v. c. bodel et pledel pro ceterorum propriis bol et plel.

[232]) Quorum hæc duntaxat meminisse juvabit: quod 1) Miklosich ipse rast, cui altera linguarum nostrarum classis rost præfert, a rd, sanscr. rdh, ducit atque ita, ut a me hac in causa tantum eo vitio, quod in illo pag. 50 et 51 exprobro, discrepet (Die Wurzeln des Altsloven. pag. 162 et 170 coll. cum meæ Srovn. ml. p. 270 et 271); ceterum autem maxima inter nos dissensio est. Ego enim l. l. æque ac nunc rast et rost in earum stirpium, quæ in *d* cadunt ac in ann. 24 et 120 attactæ sunt, numero pono contendens, eas primo in solis præsentis temporis verbis ceterisque viguisse, post autem etiam in reliqua plus minusve irrepsisse. Ille contra *t* stirpis rast ei, quo cvьt, čьt cet. terminantur, in æquo ponit; *d* autem, ut jam ad num. 120 quasi præteriens attigi, hiatus tollendi causâ interponi putat et idcirco reprehenditur, ut alios prætercam, etiam a Schleichero, qui in *d* æque ac in gr. *ϑ* radicis dha reliquias cernit (Compendium pag. 590 et 600). De *t* contra ibidem altum silet — num jure an secus, alii viderint meminerintque 2) gr. *τε* et *το*, de quibus l. priore re ipsa spectata idem ac a me de *t* stirpis rast præcipitur, præterea slovin. ras, quod unâ cum rast non solum in conjugando verbo rasti sed etiam ceterum promiscue viget; denique pbulg. jad (vehi), quod cum jaha simillime confunditur (Miklosich III, 112, 205 et Lexicon s. v. rasti).

[233]) Ut vel ex iis, quæ Miklosich l. l. ad num. 71 p. 29—36 præcepit, colligitur.

[234]) Qua de re præter Miklosichium (I, 190, 253, 290 cet.) et Čelakovskýum (l. l. ad num. 55 p. 302) Puchmayer (l. l. ad num. 187 p. 140 et 141) quoque consulendus est animadvertendumque, primum eorum de pol. pochłonąć, quod secundus e ficto pogłotnąć exstitisse putat, jure optimo altum silere; de brnąć contra Čelakovskýo assentiendum esse. Linde enim et Jungmann, ut par est, probant, brnąć l. nostri brdnúť seu tamquam simplex adhuc vigere et utrumque eorum præclare cohærere cum brod, brodzić, broditi cet. Non minus certum est, brnąć et brdnąć non acervi **DN** sed **BRDN** ecthlipsi explicandum esse itaque iis, quæ supra præcipiuntur, nequaquam adversari. Poloni enim, cum vocalibus *l* et *r* careant (cf. p. 58—62), tam brnąć quam brdnąć singulis dicant syllabis necesse est. Ceterum et hic et ad rosł meminerimus præclarorum Pottii verborum, quæ pag. 35 continentur.

aut, si Schleicheri vestigiis insistens et cum re et tecum ipse pugnare velis,[235]) producuntur, ut in бѧсъ, уисъ, рѣхъ, pboh. řiech, ꙗсъ et ꙗхъ, sorb. jěch, тѣшѧ, погрєсѧ cet. pro bodsъ, čьtsъ rekhъ, jadsъ, jadhъ, tekšę et pogrebsę. 2) Spirans *v* radicum жив, шив et плѣв, quibus ego imprimis оүв et уоүв pro Miklosichii оү et уоү addiderim,[236]) promiscue ante omnia suffixa, quæ a consonantibus incipiunt nullaque indigent copulâ, eliditur, ut in жи-ти, жи-ѕнь, boh. ží-zeň, ши-ло, quod Slavi ad occidentem spectantes plerumque in *dlo* cadere sinunt; in плѣ-нъ et quæ sunt reliqua; in boh. či-lý, cui missis aliis pol. czu-ly et russ. чу-лый respondent; in serbo-croat. ob-u-ća cet. 3) Sibilantem *z* unâ cum ъ præpositionum pbulg. бєѕъ, въѕъ et иѕъ non solum in vocum compositarum commissuris, ut inseparabilis раѕъ, sed etiam ante casus, qui a *z* aliisque sibilantibus incipiunt, haud raro e medio tolli, jam e pag. 30, 31 et 50 satis patet. De низъ contra, прѣзъ et урѣзъ, cui in Miklosichii lexico, nescio quo pacto, урѣсъ præfertur, idem nondum probatum est ideoque siletur de iis priore l. Restat, ut iis, quæ hac de re jam etiam pag. 76, 80 et 81 continentur, addam, idem illud *z* a Slavis recentioribus generatim utrobique tantum ante *c* et *č* instar *s* et *š* dici, ante reliquas vero sibilantes ore supprimi æque ac *b, d* et *t* earum præpositionum, quæ pbulgaricis объ, отъ, надъ, подъ et прѣдъ, alioqui ultima vocali destitutis respondent, ante *b, d, p* et *t*. Cujus rei indicium insigne argumentumque certissimum in eo cernitur, quod Bohemi, Poloni et Russi, etsi in scribendo enuntiationem, ut jam probatum est, omnium Slavorum minime respiciunt, malunt tamen scribere v. c. rosol, rosoł, росолъ; rasocha, rosocha; разинуть, разѣвать, vstáti, wstać, встать cet. quam rozsol, rozsoł, розсолъ et разсолъ; razsocha, rozsocha; раззинуть, раззѣвать, vzstáti cet. 4) Bulgari nostri in eo tempore futuro, quod a Kyriak-Cankovis indefinitum, ab aliis autem simplex appellatur, formando ita versantur, ut ea verba principalia, quæ ad I classem referuntur et quorum radices consonantibus *d, t, g, k, h, b, p, z* et *s* terminantur, ante auxiliare štъ l. хъштѫ et хоштѫ non solum pristino infinitivi suffixo *ti*, ut reliqua omnia, sed etiam ultima radicis consonante privent, dicentes v. c. bo-štъ, ple-štъ, pe-štъ, bi-štъ, dêla-štъ cet. pro bosti-, plesti- et pešti- vel bodti-, pletti- et pekti-štъ; biti-štъ et dêlati-štъ.[237])

---

[235]) Schleicher enim, etsi a Bulgarorum majoribus fere omne longarum breviumque vocalium discrimen sublatum esse omnino concedere debet, novissime (Compendium p. 95, 100 et 616) tamen hac in causa de pbulg. vocalium productione tam serio disserit, acsi de industria probare vellet, ea imprimis verba, quibus, ut jam pag. 9 retuli, Smithium impugnaverat, commenticia futiliaque esse. Aliter aut ego aut ille ignoramus, quidnam sibi „organische neubildung" linguarum velit. Vehementer errat Schleicher etiam eo, quod pro comperto habet, vocales ibidem ideo produci, ut consonantium elisio compensetur. Contrarium enim jam a Šafaříkio, viro hac de re universa meritissimo, ita probatum est (Čas. mus. 1847. I, 155 et 156), ut ei Miklosich (III, 99—104) quoque assentiatur, etsi ceterum haud parum inter se discrepant.

[236]) Præsertim cum sperem fore, ut iis concessis participia præt. pass. obuvenъ et čuvenъ rectius explicari possint quam in Miklosichii modum (III, 126), de čuti insuper idem sentiam ac Ebel, cui novissime Miklosich quoque ipse, ut e Lexico ejus colligere licet, assentiri videtur.

[237]) L. l. ad num. 167 p. 85 et 86, ubi tamen verbum principale non a pristino infinitivo sed a participio præt. act. in *l* cadente ducitur et, quod magis improbandum est, non conjungitur cum auxiliari, etsi hoc, cum accentu constanter careat, cum illo aptissime cohæreat necesse est.

Sed hæc hactenus, nunc ad ea, unde egressi sumus, revertamur statuentes, dentalibus hos imprimis levari acervos: **DM, DV, DH** et **DS** in verbis **дамь, ѩмь** et **вѣмь**, ut jam supra ad num. 1 indicavi, ceterum autem satis notum est, conjugandis; *dm* insuper etiam in **роумѣнъ**, quod fere omnium Slavorum adhuc commune est ductumque certe a rad. rъd pro sanscr. rudh; de **рамѣнъ** contra et **вымѧ** dubitaverim, num a Miklosichio ad sanscr. râdhas, ûdhas cet. jure referantur; neque facile consenserim cum illo putante, russ. ѣмины per *e* l. *i* scribendum esse [238]); *d* tamen in eo æque ac in семь, ruth. сим, семый cet. certe suppressum est; accedit russ. et ruth. пряха pro прядха simillimumque ejus сваха, quod tamen æque ac pol. swach et swacha ad **сватъ** cet. referendum est ideoque acervi **TH** ecthlipsi explicandum; **DC, DČ, TC, TČ, RDC, STC, ŠTC, ZDC** et id genus alii v. c. in bulg. srъce, serb. срце, pol. serce, quin etiam in iis, quæ ex etymologia scribi solent, ut boh. srdce et russ. сердце pro **срьдьце**; in boh. stačiti, půjčiti ceterisque, ut jam ad num. 177 et pag. 77 probatum est; in serb. срчан, срчити, оца, очин, чисца, Гошца, гвосца cet. pro srdč-an, -iti, otca, otčin, čistca, Goštca et gvozdca; in pserb. исьца et pruss. исца, quorum prius apud Jagićium (p. 85), alterum autem in acad. Lexico sub истецъ l. **истьць** probatum invenies; denique in pol. czyśca, gośca et id genus aliis, quibus Malecki literis *ć* et *dź* prædita, ut czyśćca, gośćca et gvoździca, ineptissime præfert; [239]) **DSK, TSK, DSTV** et **TSTV** in bogastvo, gospostvo, gosposki, proklestvo et quæ sunt reliqua apud Bulgaros, Croatas, Serbos et Slovinos; **DT** in **ѩто**, ut jam ad num. 24 adversus singularem Schleicheri scientiam urbanitatemque defensum est; de **ʒмиѥ-ѩтьникъ** contra adhuc quæritur, utrum alterum ejus membrum a rad. **ѩд** an a **им** ductum sit, quomodo igitur primo inceperit: a **ѩ** ne an a **ѧ**; **TD** in boh. padesát et devadesát, quibus Croatæ cum Serbis solum *e* l. *a* et *á*, Bulgari vero etiam *en* pro *a* vel pro pristino **ѧть**, ut jam e pag. 55 patet, tribuunt; **KT** in nostro korý vel kerý usitatis juxta ktorý et který l. **который** et **котерый**; in serbo-croat. ko, de quo vide sis pag. 85; **GD** in bulg. koga, toga et id genus aliis, quæ in *gi* quoque l. pristini **гда** cadunt et in pserb. libris frequentissima sunt; [240]) in sorb. inf. ga-ž, quod Miklosich (I, 510) protulit quidem sed sola literæ *d* elisione demta non explanavit, ego autem unâ cum pboh. kda-ž, serbo-croat. kada-re vel kada-r cet. sine ulla

---

Ad quod quidem nec Miklosich (I, 291 coll. cum III, 240 et 241) animum advertit, ceterum autem ibidem ita quoque deliquit, ut secum ipse pugnare existimandus sit.

[238]) L. l. ad num. 71 p. 78 et 79 ac in Lexico sub raměnъ, ubi etiam vymę legitur, ceterum autem, h. e. literarum ordine deest. Quod vero ad ѣмины attinet, Buslajev ei æque ac сѣмины solum *i* tribuit, etsi non ignorat, quin etiam, ut par est, probat, olim adjectivum quoque ѣмянной fuisse in usu (Опытъ pag. 95. Истор. грамм. p. 109).

[239]) L. l. ad num. 48 p. 200 coll. cum p. 42—50, ubi ceterum plurima perperam præcipiuntur, ut missis aliis de zacny, quod p. 50 non ad boh. vzácný sed ad fictum zaczstny refertur (cf. ann. 229).

[240]) Ut jam a Šafaříkio (Serb. Lesekörner. Pesth 1833. p. 89 et 90) ac Daničićio (Рјечник из књижевних старинах српских. У Биограду 1863 et 1864. s. v.) edocemur. Iisdem testibus Serborum majores **кьди** quoque et **сьди, кьда** et **сьда** pro **кьгы, кьга, сьгы, сьга** cet. ac pro recentioribus kad et kada, sad et sada certe scripserant. Hoc tamen concesso nequaquam sequitur, **къды-же** et **къда-же**, quorum prius supra (p. 88), alterum autem hic inusitatum dico, apud Bulgarorum majores viguisse.

dubitatione ad inusitatum къдл-же refero; **PT** in serbo-croat. lepir usitato unâ cum leptir, quod ego[241]) ita dissolverim, ut *le* respondeat pbulg. лѣ et lat. semi-, *ptir* autem alteri membro compositi нето-пырь, de quo mox pluribus; **RD** in croat. kurẹlj l. serb. kurdelj, quorum ratio cum nostro et boh. kurděj ac pol. kurdziel et gurdziel mihi quidem haud satis patet; **RDL** et **RDĽ** apud Polonos, ut jam p. 72 probatum est, et apud Sorbos v. c. in horło — giarło, žórło l. pol. źródło et žórlica, quorum tamen primo Pful hordło præfert et, ut alia mittam, horlica nec sub hordlica nec in appendice, ubi žórlica est, habet; **LDN** in sorb. połnj-o vel -e pro полоудьниѥ, in pol. žołnierz et slovin. žolnir, quæ e germ. söldner efficta sunt; **MDL** et **ZDL** in ruth. млѣти et грозло,[242]) quorum alteri мъдлѣти respondet, alterum autem ad гроздъ referendum est; **RTV** in sorb. sup. morvy pro мрътвый; **ČTV** in pol. czworo, czwarty cet. pro четв-оро, -ртый; **STB** et **ŠTB** in изба, de quo ceterum vide sis pag. 79 et ann. 230; in гозба, bulg. gozbъ et serbo-croat. gozba pro гостьба; in serbo-croat. jezbina, tazbina et uvjedžbati vel uvježbati pro jestbina, tastbina et uvještbati; **STBL** in boh. zblo cet. secundum pag. 80; de *zd* l. **STD** in slovin. zdenec vide sis insuper etiam pag. 55 et 56; **STKL** in pol. śkło, ruth. шкло, boh. sklo cet. pro стькло, cujus origo me judice adhuc obscura est;[243]) **STL** in boh. slup et pol. słup pro стлъ-пъ vel -бъ; in pol. jeśli vel jeźli, russ. если cet. pro ѥсть-ли; in pol. slać et ruth. слати, denique ne longus sim, in iis adjectivis, quæ ad pbulg. in сть-ливъ cadentia referuntur, ut bulg. zavisliv, pol. szczęśliwy, ruth. щасливый et quæ sunt reliqua; **VTN** in bulg. sъvne sъ et съвnъ, quorum alterum a Kyriak-Cankovis per *f* l. *v* vix recte scriptum est, præsertim cum, ut jam e pag. 83 et 84 liquet, a цвьт prorsus eodem ac prius a свьт modo ductum sit; **STN**, **ŠTN**, **ZDN** et **ŽDN**, quibus Bulgari nostri omnium Slavorum invitissime, Bohemi vero libentissime parcunt. Nequit enim sane dubitari, quin, ut alia mittam, tělestný in pboh. libris l. tělesný admodum frequens sit,[244]) mastný insuper cum masný a plebe boh. adhuc confundatur, omnibus denique numeris absoluto vzácný a Dobrovskýo quoque ipso priorum simillimum vzáctný præferatur. Prázný tamen, prázniti cet. Bohemis quoque nostris magis jam arridere videntur quam prázdný cet. Molli contra *ždn* ab iis *zn* certe anteponitur. Idem a Bulgaris jam diu fieri ideoque *ždn* a me pag. 32 haud inepte omissum esse, imprimis ex опразнѣѥть, quod jam in Ostromiri evangelio l. опраждьнѣѥть legitur, elucet. Reliquos autem horum acervorum Bulgari nostri tam vehementer aversantur, ut *t* et *d* ante suffixum quoque *en*, quod in adjectivis formandis pristino ьнъ successit mobilique *e* præditum est, negligant. Quo fit, ut v. c. præter krъsnik, ispraznь, ispraznjuvam, srešnъ pro сърѧштѫ, usnъ, de quo vide sis ann. 187, vrъsnik, zgъsnъ cet. etiam košen, nošen, posen, prazen, žělosen cet. po кѫштьнъ, ноштьнъ, постьнъ, праздьнъ et жалостьнъ dicant. Croatæ et Serbi, cum pro bulg. *št*, ut mox magis patebit, solo *ć* contenti sint, *šn* l. *štn* rarius utuntur

---

[241]) Memor inter alia horum quoque Ovidii verborum: „Quæque solent canis frondes intexere filis aggrestes tineæ (res observata colonis), ferali mutant cum *papilione* figuram.“ Met. 15, 376.

[242]) L. l. ad num. 49 p. 28 et sequ. Eadem auctoritate nituntur etiam reliqua, quorum infra ratio habetur, vocabula ruth.

[243]) Vide sis inter alia Zeitschr. für vergl. sprachf. IV, 208 et 209; XI, 174; XIII, 449 ac 450.

[244]) Teste Šafaříkio (Poč. stčes. mluvn. p. 27). Ibidem a p. 22 quærenda sunt, nisi aliter annotavero, etiam reliqua vocabula pboh. De mastný autem et vzáctný vide sis Jungmanni lexicon.

quam Bulgari, *žn* contra l. *ždn* adhuc servato præstant, ceterum autem parum cedunt Bulgaris, scribere quoque consueti præter posan, prazan et žalosan etiam lasan, pozan, vrsan cet.[245]) Poloni ad eos longe propius accedunt quam reliqui Slavi, præsertim cum non solum *t* acervi *stn*, ut Miklosich (I, 472) et Małecki (p. 48 et 49) docent, sed etiam *d* acervorum *zdn* et *ždn* itidem sæpissime negligant, ut in gwiznąć, poźny, de quo ceterum lege sis pag. 81, in próżny, wypróżnić cet.

Gutturalibus hi imprimis privantur acervi: **GM** in родостама et свимєнъ ortis e *ῥοδόσταγμα* et *ἐσφιγμένον;* **GN** ejusque vicarius **HN** in дъно, quo omnes Slavi adhuc, alioqui more quisque suo proprio utuntur l. litv dugnas; in dna, quod apud Bohemos adhuc vigere omninoque longe propius ad дъгна quam ad дъно accedere, Miklosich in lexico suo sub дна, quod ceterum ad дъна reducendum erat, non animadvertit. Huc item referuntur plurima Sorborum sup. vocabula, cum ii *h* ante alias quoque consonantes libenter supprimant; sorb. inf. krynuś, laň se et votternuś, quod tamen proprie acervi **RGN** ecthlipsi natum est itaque a pboh. vytrnúti et vztrnúti, ubi *r* vocalis partes agit, haud parum differt;[246]) accedit pboh. zdvinúti, serbo-croat. brinuti se, quod e брѣг natum est; denique russ. двинуть, дернуть, тронуть, тянуть cet. Num **KN** unquam itidem tractetur, in dubio relinquam oportet, etsi non ignoro, primum Miklosichium, cum лоуна et сѣно ad luk-na et sěk-no reducere nequaquam cunctetur, aliud sentire;[247]) deinde **SKN** ab omnibus Slavis præter Bulgaros nostros et Bohemos longe invitius tolerari quam **ZGN.** Bulgari enim nec ultimo eorum unquam parcere videntur, præsertim cum apud Kyriak-Cankovos solum hlъznъ legatur æque ac blъsne sъ, mlěsnъ, pisnъ, plesnъ, plisnъ, prasnъ, s-tisnъ, tlasnъ cet. Bohemi vero eodem acervo prorsus carent in ejus locum, ut jam e pag. 79 et 80 colligere licet, plerumque *skn* substituentes, v. c. in prysknouti pro nostro bryzgnúť et bryznúť, pol. bryznąć, russ. брызнуть; in výsknouti pro russ. визгнуть cet. **ChN** contra ex aoristo rozprnuchu, quem missis aliis Jaroslav, unum e pboh. carminibus, quorum ad num. 158 memini, bis continet (Výb. I, 45 et 46), et **HL** e sorb. sup. mół, certe hoc modo evanuerunt, non item e pboh. přísál, præsertim cum constet, quod Šafařík memoriâ lapsus non vidit, přisám quoque cet. l. přisahám adhuc vigere atque propemodum ita, ut ňáký, cák, nostrum trá, pol. trza cet. pro nějaký, co pak, treba — trzeba. Denique **KT** quoque et **KST** syncopæ certe, etsi longe minus quam **KS**, obnoxii sunt. De нєтопъірь enim, quod a plerisque Slavis recentioribus, ut jam e Lindei Miklosichiique lexicis satis patet,

---

[245]) Шушнути, quo Miklosich (I, 329) hac in causa utitur, anceps est eritque, donec decisum fuerit, quonam proprie referatur: ad шуштати ne an ad шушкати. In comparativo contra lašnji, qui positivo lasan, bulg. lesen, Babukićio (Ilirska slovnica U Zagrebu 1854. p. 214) aliisque testibus certe respondet, plane nulla subest suspicio. Eadem est acervi quoque *žn* l. *ždn*, v. c. in izpražnjivam et izpražnjujem ratio, etsi ejus Miklosich nec l. l. nec pag. 336 337 meminit.

[246]) Cujus rei Miklosich (I, 498 et 512) æque ac in pol. brnąć, de quo vide sis ann. 234, nullam habuit rationem, nec imperativi laň se ibidem III, 565 et 573. De russ. lingua et in hac causa et in ceteris imprimis Puchmayer (l. l. ad num. 187 p. 138—141) consulendus est.

[247]) L. l. ad. num. 71 p. 40, ubi ceterum argumenta quoque contrarium probantia sunt, ut ok-no, su-kno cet.

nimium quantum depravarunt, ne minime quidem amplius dubito, quin proxime et secundum nekto-ptyrь formatum sit dictumque a nocturno volatu.[248]) Nec est, cur adverser Miklosichio ibidem docenti, шестар-ъ vel -ь et старъ e lat. sextarius efficta esse;[249]) etsi nostrum šechtár, quod in Jungmanni lexico sub šeftar locum suum argumentumque habet, ad aliud sentiendum allicit. Quod autem ad cumulum **KS** attinet, is gutturali simpliciter privatus est missis aliis in десынъ, ось et тесати, quæ nobis, ut in vulgus notum est, cum plerisque Indoeuropæis communia sunt. Idem factum est in peregrino сас-ъ vel -нъ, boh. et pol. sas, magy. szász cet. comparatis ad pgerm. sahso cet. In pol. dyszel contra et in russ. дышло, in калежь et serbo-croat. kalež nec non in крижь, quo omnes nostrum adhuc utuntur, residuum *s* in *š* et *ž* mutatum esse existimo, cum non dubitem, quin tantum primum horum vocabulorum et secundum e germ. deichsel, reliqua autem e *κάλυξ* vel calyx et crux nata sint.[250]) In aliis vocabulis peregrinis *ks* spirante quoque levari, infra probaturus sum.

Labiale *v* ante *n*, ut singillatim continuo demonstraturus sum, omnium facillime evanescit. Idem dicendum est de acervis **PN** et **BN** comparatis ad **MN**. Illi enim in II classis verbis, ut in vulgus notum est, longe magis obnoxii sunt syncopæ quam *mn*. Etenim quod ad me attinet, præter ea verba, quorum jam pag. 30 memini, et præter russ. грянуть pro грямнуть nulla alia novi, quæ huc tuto referri possint. Ex aliis autem vocabulis certe huc spectat tantum сънъ, quod, ut satis constat, l. sanscr. svapnas cet. omnium Slavorum adhuc commune est; et тнил, quod æque ac тимѣние cet. raro legitur auditurque.[251]) De **PT** et **PST**

---

[248]) Ut Pott de gr. *νυκτερίς* et de lat. vespertilio, quod ego quidem proxime ad vesper-ptilio retulerim, jam a. 1837 opinatus est (De lithuano-borussicæ in slav. lettic. linguis principatu commentatio. p. 70). Idem sentit etiam Miklosich (l. l. ad num. 70 p. 4) sed alio ac ego modo. Ille enim immemor, ut puto, eorum, quæ de *νυκτα* cet. l. sanscr. nakta jam Benfey (Zeitschr. für vergl. sprachf. IX, 113) in medium protulit, cunctatur pbulg. neto-, cui missis aliis in russ нато-пырить certe adhuc nato præfertur, indico nakta in æquo ponere; pyrь autem non a rad. pъt pro sanscr. pat, *πετ* cet. sed a pr ducit. Quod quidem mihi ne minime quidem arridet, præsertim cum apud Serbos et Croatas teste imprimis Karadžićio præter lepir etiam leptir certe vigeat et vix unquam probari possit, primum *t* in leptir adventicium esse, deinde utrumque eorum vocabulorum a Miklosichio (l. l. et præcipue p. 19) jure omitti vel, quod fere eodem redit, leptir æque ac lepir simplicia esse; tum principium slovinici le-stor in Miklosichii lexico perperam in æquo poni pbulgarico лѣ = semi; postremo Bulgarorum majores ab elidendis vocalibus ъ et ь proximisque consonantibus tam diligenter se abstinuisse ut Miklosichio videntur. Ceterum numeralia pętь et šestь, quorum prius ille cum Schleichero ad pęktь refert, data operâ prætereo nixus argumentis, quæ alio loco proxime expositurus sum.

[249]) Lexicon s. h. v. Antea (l. l. ad num. 71 p. 37) šestarъ pro vernaculo habuit, etsi ibi quoque nostrum šechtár et missis aliis serb. šestar ne attigit quidem.

[250]) Miklosich contra dyszel et дышло vix unquam commemoravit, reliqua autem mavult Germanis tribuere — num jure an secus, in id alias inquisiturus sum. Nunc præstat propter žalm quoque et žaltář, quorum pag. 87 ratio habetur, adjicere, jam a Šafaříkio (l. l. ad num. 244) satis probatum esse, a Slavis *s* peregrinorum vocabulorum eo quem supra dixi modo tractari.

[251]) De konь enim Miklosich (l. l. ad num. 71 p. 40 et 41) ipse dubitat, num ad kobnь vel

in **нетнй** ac in I classis verbis, quorum radices in *p* et *b* cadunt, nec non de **PTM** vel **BDM** in **седмь** vide sis pag. 12, 15, 24 et 32 animadvertasque velim, primum in lingua pbulg. etiam **нестера**, cujus in Miklosichii lexico sub **нетнй** et contra nulla habetur ratio, viguisse et quidem pro neptera prorsus eodem modo ac missis aliis **тести** pro tepti; deinde in recentioribus linguis nostris longe pauciora mutationis hujus universæ superesse documenta quam in illa, ut boh. neť, serbo-croat. neć-ak et quæ sunt reliqua ad **нетнй** referenda; pol. kleć vel klat-ka, russ. клѣт-ка cet. pro **клѣть**; pol. grześć et skuść, russ. гресть et скусть pro slovin. grebsti et skubsti; boh. kurotev, korotev cet. pro kuroptev et missis aliis pro pol. kuropatva.[252])

Maxime omnium obnoxia est syncopæ spirans *v*. Eâ enim præter illos acervos, qui e pag. 62 et 90 huc nullo negotio referri possunt, hi quoque plus minusve libenter levantur: **GV** et vicarius ejus **HV** in bulg. gozdij, slovin. gozd et gojzd (cf. p. 65), sorb. sup. hózdź et pol. goźdź, quod tamen unâ cum gwoźdź viget; **ChV** in pol. et sorb. inf. chory, sup. khory et boh. chorý pro **хворъй**; in pol. choja, slovin. hoja et sorb. sup. khoja pro nostro et russ. хвоя; **ChVR** in **хрястъ**, quod, ut jam pag. 28 ad num. 1 indicavi, juxta **хврастъ** et pro russ. хворостъ admodum frequens est communeque reliquarum linguarum slav. omnium; **DV** in bulg. dignъ, serbo-croat. et slovin. dignem; **TV** et **RTVC** in serb. мртац, quod tamen etiam мртвац pro **мрътвьць** dicitur elisoque mobili *a* dentali quoque *t* privatur, ut in gen. мрца; in мртвац contra eidem vocali et acervo *tv* parcitur; non item in ruth. мертвець acervo *rtvc*, utpote in cujus locum constanter solum *rc* substituatur dicaturque v. c. eodem casu мерця pro serb. мртваца; **BV, BVL** et **BVR** in vocabulis compositis, quorum prius membrum præpositio *ob* est, plus minusve apud omnes Slavos;[253]) in **бж, бѣхъ, бѣахъ** cet. pro bvą, bvěhъ et bvěahъ oriundis e byą, byěhъ et byěahъ; **PV** in slovin. u-pati pro **оу-пъвати** et in ejusdem radicis adverbio **вънеза-пж** pro -**пъвж**;[254]) **SV** in rad. **съп**, quæ, ut in vulgus notum est, apud omnes nostrum viget adhuc l. sanscr. cet. svap; **сестра** contra ad pgerm. svestar cet. itidem referri, non satis constat sed, ut puto, haud inepte colligitur missis aliis e **свьсть**, quod apud plerosque Slavos adhuc est in usu; **ZV** in russ. зыкъ, зычный cet. comparatis ad звукъ et звучный; **SVL** in nostro et mor. slák, cui Jungmann injuste præfert svlak; **SVR** in bulg. srakъ, slovin. sraka cet. præter nostrum et boh. straka nec non serbo-croat. sṿraka et **свраკа**; srab tamen,

---

komnь jure reducatur; non item de glina et pol. truna, etsi nequaquam constat, prius eorum missis aliis cum serb. glib, quod ibidem ne attingitur quidem, arta conjunctum esse propinquitate; alterum contra jam Linde optimo jure Germanis tribuit. Quis igitur continere se possit, quin trumna potius a truna quam contra ducat?

[252]) Quod omnium præstantissimum est, utpote cum in eo *a* quoque radicis pat, cujus ad num. 248 memini, adhuc incolume servetur.

[253]) Ut jam Dobrovský (l. l. ad num. 27 p. 410 et 411) compertum habuit, præter quem consule sis etiam Miklosichium (I, 194, 255, 292 cet.) et de aoristis imperfectisque, ad quos attinet, ib. III, 167, 218, 240, 276, 550 et 581.

[254]) Quod cum jam in Ostromiri evangelio constanter ita mutiletur, præcipue atque insigniter confirmat ea, quorum de pbulg. vocalium ъ et ь elisione pag. 50 directe, ad num. autem 248 circuitione memini.

quo Bulgari nostri et Slovini solo contenti sunt, auditur etiam apud Serbos juxta svrab; **SKV** in bulg. skarъ, quod vi et radice congruit cum **сквръда** usitato juxta **сковрада**, suffixo autem cum **сквара**; in bulg. et slovin. skorec, sorb. sup. škórc et pol. skorzec pro **скворьць**; **STV** in bulg. storь, slovin. storim pro **сътворѭ**; **KVT** in sorb. sup. ktu, quod a sorb. inf. kvitu et a **цвьтѫ** eo vel maxime differt, quod, ut jam ad num. 231 indicavi, maximam partem instar verborum III classis conjugatur; **LVT** in pol. et sorb. inf. półtora, russ. полтора pro **полъ вътора**; **LVR** in sorb. sup. kořrat pro **коловратъ**; **VL** in serbo-croat. crljen pro **чръвлѥнъ**, ubi ceterum *v*, ut inter omnes constat, pristini *m*, quod in **чрълмьнъ** cet. superest, partes agit, *l* autem epentheticum est idemque in pserb. libris frequentissimum loco *vl*, ut in **испрaлꙗти** et **оставлꙗти** pro **исправлꙗти** et **оставлꙗти**;[255]) **VN** in **дьнь**, quod, ut satis constat, omnium nostrum commune est ductumque a rad. div; in pboh. prní pro první; **ZVN** in boh. zníti, cujus jam pag. 84 memini, et in sorb. inf. zněś pro **звьнѣти**.

De reliquarum spirantium ecthlipsi hæc sola partim addidisse partim prima protulisse sufficiat: 1) *s* et *z* desunt acervis **ŘST**, **ŘSŤ** cet. apud Bohcmos, Polonos et Sorbos, v. c. in křtu et křtíti, pol. chrztu et chrzcić, sorb. sup. khřtu et chřćić pro **крьст-оу** et **-ити**, ut jam e pag. 58 et 62 elucet; in pol. sierć (cf. p. 74) et rznąć pro **рѣзнѫти**, quod quidem vix erat in usu sed a **рѣзати** recte ductum est; **ČSK**, **ČSTV**, **ŠSK**, **ŠSTV**, **ŽSK** et **ŽSTV** in serbo-croat. junač-ki, -tvo et id genus aliis; **KS**, **GS**, **PS** et **BS** in peregrinis vocabulis quam plurimis, ut in **калкъ**, **оусерѩ-гъ** vel **-зь**, **кынопъ** cet. comparatis ad lat. calx, goth. ausa-hriggs et gr. *κύνοψ*. 2) Spirante *j* privati sunt acervi **SJ**, **ZJ**, **VJ**, **JD** cet. in serbo-croat. sutra usitato juxta sjutra; in pboh. zevovati, zevný cet. pro zjevovati, zjevný; in nostris zesť, vedno cet. pro zjesť, **съꙗсти**, et vjedno; in poď et přiď (cf. ann. 177); in russ. поди, радуга cet. pro пойди et рай-дуга, cujus primum membrum idem est ac in рай-дерево, рай-городъ cet.

Liquidarum *l*, *r* et *n* præter eos acervos, qui e pag. 62 huc spectant, hi quoque expertes sunt: **LV** in pol. mówić pro **млъвити**, **HL** in **хоупати**, quod tamen etiam a *hą*, *hlu*, *hlą*, *hle*, *hlę* et *hlě* incipit; **ČL** et **SL** in serbo-croat. čověk et in compositis blago-sov, blago-soviti, Vladi-sav, Vuko-sav cet. quam plurimis, quorum tamen alteri membro *l* quoque adhuc tribuitur;[256]) **TR** in **братъ** usitato juxta **братръ**;[257]) **PR** in nostris piklet et pitvor;[258]) **ZR** in

[255]) Teste Jagićio (l. l. ad num. 50 p. 84) et Daničićio (l. l. ad num. 240 s. v.).

[256]) Testibus prius l. et, quod ad sav pro slav attinet, etiam Šafaříkio (l. l. ad n. 240 p. 53 et 54).

[257]) Quod Miklosich (I, 218 et 219), nescio quo pacto, in suo genere singulare dicit et ad fictum sanscr. bhrâtras reducere conatur. Constat enim, ut alia mittam, větrъ ejusdem esse generis, deinde apud populares meos mater-a tamquam genitivum et acc. sing. vel pro usitatioribus mater-e, mater, matk-y, -u cet. adhuc vigere, cum ex. c. canánt: matera sa opýtaj, ale sa ja bojím tej tvojej matera (Nár. zpievanky, vyd. od J. Kollára. V Budíně 1834 et 1835. I, 225 et 228), matera mi zobudíte (Spisy básnické A. Sládkoviča. V B. Bystrici 1861. p. 229). Quod quidem antiquissimo more fieri, ii imprimis, quibus Boppii præcepta de vêdico gen. masc. mâtur et ppers. acc. fra-mâtâram (Vergl. Gramm. Ed. alt. III, 189) probantur, nullo negotio concedent. Me insuper consolatur spes, quod valde suspicor fore, ut quidam eorum assen-tiantur mihi exclamanti: væ rarissimo illi vocabulo, si in eruditas Schleicheri manus inciderit!

[258]) Ut jam apud Palkovičium (Böhmisch-deutsch-lat. Wörterbuch. Pressburg 1821) leguntur et

ꙁѣница, serb. зјеница, slovin. zenica, quæ unâ cum plebis russ. propriis зѣнки, позѣть, позѣять cet. duce Šafaříkio et Miklosichio (l. l.) ad rad. zr, me vero judice ad zьr (cf. p. 51) referenda sunt; **ČR** et **ŽR** in nostro cez, quod tamen etiam more croat. et slovin. čez et črez dicitur; accedunt slovin. čêda, čêp, žêbe, žebelj et id genus alia;[259]) **DN** in pol. dziś, quod l. дьньсь usitatius est quam dzisia; **ZNL** in боꙗꙁливъ, serbo-croat. bojazljiv et bojažljiv, russ. боязливъ ceterisque, si reapse suffixo ливъ a stirpibus in ꙁнь pro pristino *zni* cadentibus ducta sunt;[260]) **RNK, RNC, RNČ, RNŠ, RNČK, RNŠK** cet. in universa vocabulorum pol. garniec, russ. гарнецъ et горнецъ, de quibus vide sis p. 61, ruth. горнець, чернець cet. flexione eo tantum discrimine interposito, quod Russi *n* in scribendo rarius negligunt quam Rutheni et Poloni. Illi enim, quod sciam, tantum горшекъ, горшка cet. sine *n* et гончаръ cet. sine *r* scribere consueverunt, Poloni contra etiam garca, garka, garczek, garczka et quæ sunt reliqua, Rutheni autem itidem горця, черця, гончарь cet.

Ceterum spero fore, ut benevolus lector acervis syncopæ obnoxiis eodem vel simillimo ejus, qui pag. 85 et 88 eadem in causa observatur, ordine digestis concedat, eorum quoque plerorumque odium recentioribus Slavis cum Bulgarorum majoribus commune esse idemque maximam partem concordissime patefactum.

c) Apocope.

Etsi de universa consonantium pbulg. apocope, ut jam imprimis e pag. 34—39 et ex ann. 257 nullo negotio colligere licet, a Böhtlingkio (l. l. ad num. 32 pag. 100—112), Miklosichio (I, 218—223) et Schleichero (l. l. ad num. 61) haud parum dissentio, æquum tamen est et bonum præceptis eorum hic supersedere. Quod autem ad recentiores linguas nostras attinet, de iis vide sis imprimis pag. 64, 65, 68, 71, 78, 85 et 92 animadvertasque velim, compositas consonantes in bulgarica, polonica, russica, ruthenica et sorbica aliquanto magis obnoxias esse apocopæ quam in reliquis. Bulgari enim nostri acervos **ST, ŠT, ZD** et **ŽD** eâ tam diligenter tollere consueverunt, ut *t* et *d* ante adjectivorum quoque suffixum *en* restituere constanter negligant itaque longe præstent inter omnes Slavos. Fere idem dicendum

---

a Šafaříkio (Čas. mus. 1846. p. 417) ad pbulg. priklětъ et pritvorъ referuntur. In Miklosichii vero lexico neutrum eorum est, etsi eo certe magis pertinent quam magy. pitvar, quod ibidem perperam incipit a *pri*, non item in ejusdem auctoris disputatione, quæ „Die slavischen Elemente im Rumunischen“ inscripta est et prius edita (Denkschriften der philosophisch-hist. Classe der k. Akad. der Wiss. in Wien 1861. XII, 39) Ceterum pro comperto habeto, -klětъ æque ac klětь, cujus supra memini, labiali *p* levatum esse.

[259]) Miklosichio (I, 259), Jagićio (p. 86) aliisque testibus.

[260]) Ut Miklosich (l. l. ad n. 71 p. 33, 75 et 76. Lexicon s. h. v.) opinatur, etsi l. ultimo, ut par est, probat, bojazlivъ solorum glag. codicum proprium esse, et concedere debet, primum codices istos redundare linguæ serbo-croat. proprietatibus, deinde a Croatis et Serbis *n* in *l* longe libentius mutari quam ille (I, 325 et 326) tradit, immemor inter alia Šafaříkii præceptorum eadem de re (l. l. ad n. 240 p. 51 et 52); postremo, ne longus sim, apud Bohemos bázniv æque ac bázliv adhuc vigere, etsi *n* docente Miklosichio (I, 432—435) nunquam, me vero teste (Zvukosloví p. 94) perquam raro mutant in *l*.

est de Russis, Ruthenis, Polonis et Sorbis habita apocopes acervorum **KL**, **GL** cet. ratione. Constat enim, a Sorbis quoque *l* participii præt. act. ore plerumque supprimi, ceterum autem eos hac re inter se et a reliquis Slavis ita discrepare ut vel ex iis, quorum hac in causa partim directe partim circuitione supra memini, nullo negotio colligitur.

3) Adjectio.

Adjectio eodem ac elisio modo trifariam dispertitur: in prosthesim, epenthesim et epithesim vel paragogen, de quarum singulis hæc meminisse sufficiat!

a) Prosthesis.

Vocalium prosthesi Slavi ad asperiores consonantium cumulos leniendos vix unquam utuntur, præsertim cum vocabula a vocalibus incipienda consonantibus *j*, *v*, *h* et *g* plus minusve adhuc exornare soleant. Quod quidem primo hiatus tollendi causâ factum esse, jam supra (p. 39—43) quasi præteriens probavi. Restat ut adjiciam, primum *h*, cujus pag. 57 et 58 memini, facile ejusdem esse generis; deinde eo æque ac aliis consonantibus alia vocabulorum slavicorum principia raro onerari itaque acervos prosthesi ortos aut mutatos in linguis nostris haud esse frequentes. Quod ut uno alterove exemplo illustretur, animadvertas velim, ex iis vocabulis, quæ a Šafaříkio (l. l. ad n. 224) eadem in causa prolata sunt et ab **SK**, **TK**, **RM**, **ČM**, **PSTR** et **PŠTR** incipiunt, tantum pstros, pštros et tkovati[261]) tuto huc referri posse, reliqua contra vix ac ne vix quidem. De skóra enim habita vel eorum, quæ de rad. *κερ* et *σκυ* a Curtio præcipiuntur,[262]) ratione vehementer dubito, num cum kora ejusdem sit radicis. Ѵмѫта æque ac чмута et чмутный, quorum prius Linde sub męt, alterum autem russ. Academici literarum ordine proferunt, in Miklosichii lexico deest — jurene an secus, in id alii inquirant. Quod denique ad rmoutiti attinet, id apud Bohemos et rmútiť apud populares meos l. pristini mútiti et мѫтити vigent quidem adhuc sed unâ cum smoutiti et smútiť, quorum *s* cum præpositione съ, a qua compositum съмѫтити incipit, certe congruit. Quis igitur se continere possit, quin suspicetur, rmoutiti e smoutiti *s* in *r* mutato natum esse?[263]) Anceps est etiam **HL** in boh. hlomoziti usitato juxta lomoziti; **KL** in pol. kleszcz, cui tamen leszcz l. russ. лещъ cet. jure præfertur; denique, ne longus sim, **GN** vicariusque ejus **HN** in гнѣздо, quod etsi apud Sorbos sup. solos ab *n* incipit, tamen in dubio relinquatur oportet, præsertim cum гнѣтити, ut jam e pag. 86 patet, æque anceps sit, sanscr. autem nîḍa eo, qui in Miklosichii lexico refertur, modo argute quidem sed vix recte ducatur a ni et dhâ. De **VL** contra et **STR** non dubitaverim, quin in boh. vlastovice et střízvý nec non in slovin. strêziv, strêzen cet. comparatis ad ластовица, трѣзвъ cet. prosthesi originem suam debeant.

---

[261]) Quorum primum et ultimum apud Croatas et Serbos in usu esse, J. Stulli (Rječosložje. U Dubrovniku 1806) testatur, non item Karadžić. Ceterum pstros æque ac pštros, quod Bohemis nostris l. pbulg. strusъ, pol. struś cet. magis arridet, peregrinum esse, inter omnes constat.

[262]) L. l. ad n. 68 I, 117 et 138. Præterea consule sis etiam eos auctores, qui in Miklosichii lexico sub kora et skora laudantur.

[263]) Qua de re ceterum consule sis imprimis Šafaříkium ipsum l. l. ad n. 240 p. 63—67.

b) Epenthesis.

Vocales epentheticas bifariam dispertierim: in mobiles et immobiles, addiderimque, utrasque earum ad tollendos asperiores consonantium acervos adhiberi. Argumento tibi sint imprimis ea, quæ hac in causa jam pag. 48—62 et 64—75 continentur et ita comparata sunt, ut unâ satis probent, quæstionem de mobilibus vocalibus nisi omnibus consonantium acervis quam accuratissime percensitis persolvi non posse: eam igitur longe esse ampliorem quam ut intra angustos disputationis hujus fines (cf. p. 12) excuti possit.

Longe alia est ratio immobilium vocalium interpositarum et in his eorum *o* et *e*, quibus Russi et Rutheni vocabula ab acervis **KL, KR** cet. incipienda, ut jam p. 61 quasi præteriens indicavi, instruere solent. In iis enim explicandis russ. grammatici ipsi tam diligenter et prospere desudarunt, ut sine ulla dubitatione assentiendum sit P. Lavrovskijo contendenti,[264]) Miklosichium (I, 360, 391 sequ.) eadem in causa proprie nihil profecisse. Cujus rei argumentum me judice certissimum in eo cernitur, quod Miklosich prorsus inexpertum omittit, num ea pbulg. ла, ра, лѣ et рѣ, ad quæ attinet, omnia promiscue in оло, оро, еле et ере convertantur a Russis. Id enim nosse aperte plurimum aut longe plus interest quam accentum harum syllabarum in comparatione cum serbico et cum quantitate bohemica. A Miklosichio igitur omnino frustra quæres, quî fiat, ut Russi v. c. класти et братъ hac in causa prorsus intacta relinquant dicantque klasť et brat; non item a Lavrovskijo, utpote qui, etsi eam sorb. linguæ inf. proprietatem, quæ e pag. 62 huc refertur, non respicit, tamen satis probet, Russos iis ла et ра, quibus pol. *ła* et *ra* respondent, plerumque pepercisse, оло autem et оро l. pol. *ło* et *ro* itidem dicere consuevisse. Quæ cum ita sint, Lavrovskijum potius quam Miklosichium imprimis ii, qui hanc russ. linguæ universæ proprietatem de industria tractare voluerint, consulant oportet.

Consonantes longe libentius interponere consuevimus ad asperiores earum acervos leniendos quam aliter. Etsi præterea nullo negotio intelligitur, alterum epentheticarum consonantium genus causæ nostræ alienum esse, operæ tamen pretium est id quoque eatenus duntaxat, quatenus ad prius explanandum plurimum confert, respicere itaque has imprimis consonantes perpendere:

1) **L**, quo acervos **BJ, PJ, VJ** et **MJ** ita exornare consuevimus, ut linguæ nostræ idcirco in duas dividendæ sint classes, quarum una bulg. veterem, croaticam, serbicam, slovinicam et russicam universam, altera autem reliquas omnes complectitur. Bulgari enim nostri, nisi me omnia fallunt, uno alterove vocabulo, ut duplif et grebъlkъ,[265]) demto epenthesi hac

---

[264]) Извѣстія имп. Академіи наукъ. Санктпетербургъ 1859 et 1860. VII, 193—240 et VIII, 330—336. Verum tamen, nisi mihi reique ipsi deesse velim, prætermittere non possum, quin adjiciam, locum prius l. tot tantisque vitiis excellere, ut conjicere liceat, ea potius typographis quam auctori exprobranda esse, præsertim cum constet, priores eorum generatim apud Russos in rebus slavicis adhuc esse negligentiores quam in alienis: Šafaříkium igitur hac in causa operam perdidisse (Památky dřevního písemnictví Jihoslovanův. V Praze 1851. p. IV et V).

[265]) Quæ e grammatica l. ad n. 167 huc tuto referri, probare vix opus est, etsi constat, ad ea et id genus alia nec Šafaříkium (l. l. ad n. 220) nec Miklosichium (I, 288 et 291) animum

non amplius utuntur itaque proxime accedunt ad eos Slavos, qui ad occidentem sunt quibusque eadem re facile antecedunt Poloni, cum præter kropla et przerębla, quorum Miklosich (I, 468) meminit, grobla quoque apud eos et Lusatas inf. vigere Linde testetur. Mowla contra, quod l. prius l. affertur, nec altera Lindeani lexici editio habet. Populares mei præter hrobl'a etiam hrable dicere consueverunt l. boh. hrábě, pol. grabie, russ. грабли cet.

2) **N**, ubicunque a Miklosichio (I, 124, 242 cet.) hiatus tollendi causâ interpositum putatur, me judice ad acervos **KJ, TJ, DJ, VJ, SJ** cet. levandos adhibetur. Nequit enim sane dubitari, quin ille hac in causa secum ipse plane ita pugnet, ut mihi potius quam illi assentiendum sit. Explicemus breviter! Ut jure concedi possit, *n* v. c. in къ нѥмоу et отъ нѥго hiatus tollendi causâ inesse, constet oportet, ѥмоу et ѥго non a *je* sed a puro *e* aut a diphthongo *ie* incepisse. Atqui Miklosich (l. l. ad n. 84) ejusmodi ѥ disertissime planissimeque syllabæ *je* in æquo ponit, de hiatu autem docens sine ullo argumento aliud sentit: secum igitur ipse pugnet necesse est. Accedit, quod Bulgari veteres etiam præpositionem съ simillimo ejus, quem p. 50 opitulante imprimis Miklosichio ipso paucis descripsi, modo tractarunt, eodem teste (I, 210) scribere consueti v. c. шнѥѭ et шнимн pro usitatioribus съ нѥѭ et съ нимн pristinísque sъ jeją et sъ jimi. Quis igitur quæso est, quin vel his diligentius expensis mecum conjecturâ judicet, a Bulgarorum majoribus *n*, de quo disceptatur, primo ad eas consonantes compositas, quæ extrema præpositionum vocali ъ suppressa orirentur molestæque illis essent, ut *kj* in k-jemu cet. evitandas adhibitum esse, deinde sensim pedetentimque tam vehementer adamatum, ut eo casus quoque pronominis и, ꙗ, ѥ præpositionum expertes, ut иню, cujus Miklosich (III, 67) meminit, interdum instruerentur? Ceterum non ignoro neque contemno difficultates, quas pbulg. scribendi ratio conjecturæ meæ affert, sed iis infringendis nunc supersedere debeo partim ideo, ut aliquid spatii lucrer, partim quod spero fore, ut partes meas imprimis ii, qui in ejusmodi rebus sapientissimis Diezii obtemperant consiliis,[266]) facile beneque agant.

3) **S, Š, Z** et **Ž**, quorum ultimo, quod sciam, nulli, reliquis autem hi exornantur acervi: **PT** et **BT**, ut jam p. 15, 24, 32, 94 et 95 explanatum est; **VT** in serbo-croat. živsti usitato juxta živjeti et življeti; **VTV** in пажнстка, de quo ceterum præter l. modo l. vide sis etiam p. 31 et 90; **PČ** in pol. pszczoła conferendo cum iis, quorum p. 79, 84 et 87 mentio fit;

---

advertisse. Grabla contra et grabljo, mamla et mamljo cum cet. dubia sunt eruntque, donec ratio eorum cum bêg-la, -ljo; drъg-la, -ljo cet. in tuto collocata fuerit. A Bulgarorum majoribus quoque libenter negligi idem *l*, jam p. 32 probatum est Miklosichii testimonio, cui adde sis id, quod Jagić ex Assemani evangelio (ed. a Fr. Račkio Zagrabiæ 1865. pag. XXXX) protulit. Cave denique putes, Böhtlingkium hac in causa a Miklosichio (I, 180 et 181) ita refutatum esse, ut hoc negotio illis quoque, qui idem *l* data operâ tractaturi sunt, supersedere liceat.

[266]) Et in his ei, quod ita dictum est: „Das Alter eines Wortes von seinem urkundlichen Sichtbarwerden schlechthin abhängig machen zu wollen, ist zwar ein diplomatisch richtiges, aber eben darum ein auf der Oberfläche sich haltendes Verfahren, welches der Geschichte der Sprache nothwendig Gewalt anthut" (Gramm. der rom. Sprachen. ed. alt. I, 30). Præterea boni consulant quæso etiam ea, quæ a me hac in causa jam prius (l. l. ad n. 41 p. 139 et 140) in medium prolata sunt.

denique **BD** in pol. bździć, quod Linde aliique [267]) ad gr. *βδέω* retulere sed vix animadverterunt, *ź* ejus æque ac russ. бздѣть, boh. bzdíti cet. primo ad eas pertinuisse sibilantes, quæ cum simplicibus quoque consonantibus aliis et in his cum *d* et *t* facilius junguntur compositasque **ZD**, **ŽD**, **ST**, **ŠT**, **SK**, **ZG**, **SN**, **ZN** cet. faciunt quam contra, ut in дрозгъ pro drozdъ et гнѣздо comparatis, ut alia mittam, ad lat. turdus et nidus; гроуздие, cui гроудие præfertur; in russ. громоздить et boh. hromážditi, quod tamen etiam hromaditi dicitur; in узгъ et узголъ, quæ russ. scriptores l. уголъ aspernantur, non item клясть, cujus *s* æque ac *ś* polonicorum rękojeść et wziąść a Miklosichio (I, 399, 472; III, 352 et 500) perperam „anorganicum" dicitur; denique, ut a plerisque linguarum comparandarum magistris pro comperto habetur, in suffixis снь, знь, сть, ьскъ cet. Contrarium evenit in възгроздити et хыжда usitatioribus sine *d*; in гроз-нъ vel -дъ, bulg. gros, slovac. hrozno cet. comparatis ad pol. grono nec non ad зрьно; in slovin. stezda usitato juxta steza; in serbo-croat. žlezda, žderem et id genus aliis; denique, ne longus sim, in притчина et протчій, quæ teste Buslajevo (l. l. ad n. 271) plebis russ. propria sunt.

4) **T** et **D** compositis consonantibus boh. sæpissime interponuntur. Bohemi enim acervos **ČŘ** et **SŘ**, ut jam e p. 77 et 87 colligere licet, diligentissime in *stř* vel *tř* mutant atque ita, ut eos tantum in čříti, s-řezati, s-řítiti et id genus aliis vocabulis tolerent. Prætcrea e pag. 92 elucet, ab iis **SN** quoque et **CN** eodem *t* adhuc instrui. Majores vero eorum etiam **PN**, v. c. in septni, itidem tractabant. Insuper probabile est, *str* in straka, cujus p. 95 memini, pristino **SR** successisse; non item in struha, strumen, ostrov cet. nec in bystrý, ostrý, pestrý, pstruh cet. Priora enim non amplius a rad. sru sed a stru duxerim, reliquorum autem *t* unâ cum *d* in moudrý cet. suffixis tribuerim. [268]) In strach contra, strašiti cet. *t* certe interpositum est communeque omnium Slavorum, quod semel commemorasse sufficiat. **ZR** et **ZŘ** a plebe boh. medio *d* diligentissime adhuc exornari, jam pridem constat ideoque probabile est, acervis quoque **ŽR** et **ŽŘ** ab ea idem fieri. [269]) Scriptoribus contra solum mázdra et nozdry (cf. p. 80 et 81) probantur. Jungmann aliique idem *d* acervo quoque **NR** reddere cunctantur, non item molli **NŘ**, scribentes v. c. ponrava, Kunratice, Jindřich cet. Linde aliique scriptores pol. hac in causa largiores, quin etiam prodigi existimandi sunt, cum præter miazdra, nozdrze, zdrada, zazdrość cet. pandrów quoque, pandry, pendrak cet. pro pądrów, pądry et pędrak scribere soleant. Acervo quoque **ZJ** idem *d* tribuunt in zdjąć cet. usitatis etiam cum *zj* l. pbulg. sъ-j vel sъ-n. De *strz* et *trz* pro pristino *čř* vide sis p. 77, de sorb. *tr* autem et *tř* l. *str* p. 87 animadvertasque velim, Lusatas hac re Polonis quoque ipsis haud

[267]) Ut Pott (Etym. Forsch. ed. pr. I, 110) et Curtius (l. l. ad n. 68 I, 196) immemores inter alia lat. pedo, quod in Miklosichii lexico sub prъděti est et missis aliis ad slovin. pezdim ac litv. bezdu aperte longe propius accedit quam visio. Ne tamen in putidiuscula hac re nimius sim, satis habeo e magy. büdös et büzös collegisse, apud Bulgarorum majores non pьzděti, quod Miklosich l. l. e suo pezdeti effinxit, sed vel bzъděti vel bьzděti viguisse.

[268]) Etsi vix avertor a vero putans, Miklosichium inter rad. sru et stru adhuc fluctuare, præsertim cum in ejus Lexico Kuhnii, Förstemanni aliorumque (Zeitschr. für vergl. sprachf. IV, 27; IX, 276; XIV, 223 et sequ.) directe nulla habeatur ratio; de suffixis autem, ad quæ attinet, illum idem sentire (l. l. ad n. 71 p. 35) ac mihi prius (Srovn. mluvn. p. 218) videbatur. Cur de sententia ea decedam, alio loco, ut par est, expositurus sum.

[269]) Čas. mus. 1852 p. 174, 1863 p. 335 et 1864 p. 51.

parum cedere, præsertim cum a Miklosichio (I, 510) tantum unum epenthetici *d* documentum certum proferatur idque zdŕaly. Bulgaros contra veteres ejusdem *d* usu plebi quoque boh. longe præstitisse, concedendum est. Illi enim eo non solum *zr*, ut jam e p. 29 et 50 satis patet, sed etiam *žr* diligentissime exornare solebant, ut in **ждрѣбѧ, ждрѣло** cet. Longe minus arridebat illis *ndr* l. *nr*, de quo ceterum vide sis ann. 272, et *str* pro *sr*, ut in **страцининъ, стрѣтениѥ, стрьшень** et paucis aliis. Bulgari nostri, quod sciam, eodem *d* in solo nozdri, *t* vero sæpius utuntur, ut in strede, stret, stretane, streteš cet.[270]) Croatæ et Serbi hac in re præter Bulgaros Slovinis quoque, Rutheni autem Russis aliquanto superiores sunt.[271])

5) **K, G, H, P** et **B** paucos imbuunt acervos, ut **SVT** in boh. stkvíti se secundum p. 83; **MN** et **ML** in pboh. kampna, tempný et zempný; in pol. Ziempniow, cujus jam ad n. 193 memini; in Ziemblice, quod Tabellâ quoque ibidem l. continetur et ad Ziemnice facile ita refertur ut nostrum Zemplin teste Šafaříkio (Poč. p. 26) ad ruth. Zemnen; **MR** in pol. cąbr et cębra, quæ tamen Germanis debentur et per *am* quoque ac *em* scribuntur; **ZR** et **ZŘ** in pboh. rozhrušiti; in serbo-croat. mezgra, in nostris miazgra et nozgri, quæ tamen etiam per *d* pro *g* dicere consuevimus, non item vozgri l. **возгрѩ**, boh. vozher, pol. wozgrza cet.

c) Epithesis.

Aliquot epithesis documenta jam p. 66 continet. Reliqua pauca esse et vix digna, in quæ hoc loco diligentius inquiratur, imprimis ii, quibus consonantium nostrarum apocope probe nota est, facile concedent.

4) Dissimilatio.

Dissimilationem primum bifariam diviserim: in imperfectam et perfectam, quarum priore singula, alterâ autem omnia acervorum elementa plus minusve mutantur. Utriusque igitur earum, ut satis constat, plures distinguuntur species, quarum hoc loco duæ duntaxat ex imperfectis et una e perfectis, contusio, si ita dicere fas est, considerandæ sunt.

a) Mutatio consonantium in vocales.

Dissimilatione hac imprimis acervi **MK, NK** ceteri, ut jam pag. 78 ad E) indicavi, vitantur. Bulgari enim veteres *m* et *n* antecedentesque vocales in extremis vocabulis suis promiscue, in mediis autem ante omnes consonantes præter *j*, *l* et *r*[272]) plerumque in *ą* vel *ę* comprimere consueverant, ut in **вьдовѫ, сѣмѧ, дѫти** et **пѧти**, quæ proxime et secundum vьdovam, sěmen, dъmti et pьnti exstitisse, in vulgus notum est. Ex iis autem, quæ de vocalium **ъ, ь, ѫ** et **ѧ** consonantiumque *l* et *r* indole vicissitudinibusque pag. 48—62 et 78 ad D) continet, inter alia hæc quoque elucent: quod 1) Slavi vocalium *ą* et *ę* expertes priora acervorum *mk*, *nk* cet. elementa penitus suppressere; 2) assentiendum est Miklosichio (I, 235, 326 cet.) pro

---

[270]) Teste Miladmovo l. l. ad n. 146 p. 33, 50, 92, 267, 309, 405, 494 cet.

[271]) Cujus rei documenta vide sis apud Miklosichium (I, 254 et 329), Jagićium (p. 88), Osadcam (p. 27) et Buslajevum (Ист. грам. p. 80).

[272]) A Miklosichio (I, 64) solum *l* epentheticum, a Schleichero (Compendium p. 102) autem solum *j* perperam eximi, ex iis, quæ de acervis *ml*, *mr* et *nr* p. 27, 29 et 32 continent, satis patet. Adverbium „plerumque" imprimis ad *y* pro *ą* in kamy, vlъky, bery cet. refertur.

comperto habenti, a Slavis recentioribus imprimis ea *m* et *n*, quæ pbulg. syllabis мъ, мь, нъ et нь respondent, in extremis syllabis et vocabulis etiam ante consonantes jam plus minusve moderate ferri; 3) dissimilationi huic certe obnoxii sunt etiam acervi **KL**, **GL** cet. apud Croatas et Serbos; **LK** autem, **LG** cet. etiam apud Slovinos et Ruthenos, ubicunque *l* eorum in *u* et *o* detortum est. Denique alio loco, ut par est, probaturus sum, eosdem Slavos minime omnium se abstinuisse a *v* acervorum **VK**, **VG** cet. in *u* mutando. De Ruthenis interim vide sis p. 42 et 43 conferque оуꙁда vel оуꙁга cum въꙁда et жꙁа; serbo-croat. utorak, boh. úterek, udovac, uš, uz cet. cum въторъ (pag. 54), вьдовьць, въшь et въꙁъ; slovin. duri et zunaj cum двьри vel дьври (ann. 218) et иꙁ-въна; udod, udeb cet. et russ. удодъ cum въдодъ (p. 88) cet.

b) Mutatio consonantium in alias.

Iis, quæ e p. 76 et 77 huc spectant, hæc duntaxat adjicienda sunt:

1) Mutis in *j* mutatis Croatæ, Serbi, Slovini et Bulgari facile plurimos vitant acervos, ut **TK**, **DN** et **DS**, v. c. in majka, rujni, quod ejusdem est cum роумѣнъ (p. 91) radicis, et in numeralibus, quorum p. 64 et 65 memini; **KD** in bulg. nejdê, nijdê cet. et in slovin. kjer usitatis unâ cum nekъdê, nikъdê et kder pro къде-же.

2) Mutis in sibilantes eadem de causa mutatis Slovini facile præstant inter omnes Slavos, præsertim cum *sc* et *šč* acervis quoque **DC** et **DČ** libenter præferant;[273]) ceterum autem nihil cedant reliquis Slavis. A quibus quidem omnibus **DT** et **TT** cupidissime in *st* mutari, in vulgus notum est. Acervis contra **KT**, **GT** et **ChT** idem tam raro fit, ut id Miklosich concedere cunctetur.[274]) Ego vero id ipsum jam diu pro comperto habeo, nunc his imprimis nixus documentis: хластъ et russ. холостъ referendis sine ulla dubitatione ad хлакъ, quod priori eorum teste Miklosichio ipso præfertur; жест-окъ, -ѣть cet. ductis a rad. žeg per obsoletum part. præt. pass. žes-tъ conferendumque inter alia cum вѣстъ et cum altero compositi оуе-висто et pol. oczy-wisty membro; serbo-croat. last, quod certe a lag congruente cum lьg in льгъкъ, sanscr. laghus cet. ductum est et ad lasan non solum a me (p. 92 et 93) sed etiam a Miklosichio (Lex. s. льстьнъ) ita refertur ut inusitatum bulg. lest ad lesen; пръсть, bulg. prъs, boh. et slovac. prsť, russ. персть et sorb. sup. pjeršć ductis a пръх; denique сръсть, cujus jam p. 27 et 74 ita memini, ut satis habeam nostrum et boh. srsť, sorb. sup. seršć et russ. шерсть adjicere. De *št* pro *kt*, *gt*, *cht* et **TJ** ac de *žd* pro **DJ** mox singillatim pluribus. **DL** autem et **TL** in *sl* longe sæpius mutari quam **TM** in *sm*, satis notum est. Pro **KL** et **KR** vix invenies *cl* et *cr* sæpius quam in nostro et boh. cloniti, quod juxta sloniti et kloniti viget, ac in црькы, de quo ceterum vide sis p. 27 et 52 animadvertasque velim, ei a Bulgaris nostris solis adhuc *č* pro *c* tribui. In *čl* contra et *čr*, *sl* et *sr* eosdem acervos æque ac **GL** et **GR** in *zl*, *žl*, *zr* et *žr*; **ChL** in *sl* et *šl*; denique **KV** in *cv* et *čv*, **GV** in *zv* et *žv*, **ChV** in *sv* et *šv* a Bulgarorum quoque majoribus ipsis sæpius detortos esse quam Schleichero (Comp. p. 247 seq.) videntur, imprimis Šafaříkio opitulante (l. l. ad n. 30) facile colligitur. Libentissime igitur assentior Miklosichio circuitione probanti, mêzga mutato **GG** in *zg* ortum esse, speroque

[273]) Ut in dêsca, gôsca, pasca cet. apud Miklosichium (III, 177) et in slaščica, cujus Janežič (l. l. ad n. 89 p. 21) meminit.

[274]) L. l. ad n. 71 p. 58 et 80, ubi žestokъ obscuris annumeratur, coll. cum mei Zvukosloví p. 104, Srovn. ml. p. 149 et Čas. mus. 1864 p. 206 et 207.

fore, ut ille vicissim разга vel розга non amplius a разъ vel розъ sed a rad vel rod (cf. ann. 232) ducat itaque concedat, DG quoque itidem mutari.

3) Huc item refer: *sl* pro SV in сладъкъ cet. comparatis ad sanscr. svâdus cet. et in sloboda usitato a quibusdam Slavis pro свобода; *mr* l. NR in boh. mravy, *kš* pro KN Polonorum proprium, ut in vulgus notum est æque ac illud *št*, quo pro ČT Bulgari nostri, Croatæ, Serbi et Slovini facile præstant inter omnes Slavos; *tv* et *skn* pro TcH et STRN in sorb. sup. tvóŕ et sknadź (cf. p. 62, 80 et 87); *ckn* pro CTN in pol. ocknąć się, boh. octnouti se cet.

c) Contusio.

Contusioni hi imprimis obnoxii sunt acervi:

1) DJ, TJ, KT, GT et ChT, ubicunque primo eorum vicarioque ejus bulg. *žd*, serbo-croat. *đ* et slovin. *j* Bohemi cum Sorbis *z*, Slovaci cum Polonis *dz*, Russi *ž* et Rutheni jam *ž* jam *dž;* reliquis autem et vicario eorum bulg. *št* Bohemi cum Slovacis, Polonis et Sorbis *c*, Croatæ cum Serbis *ć*, Slovini cum Russis et Ruthenis *č* substituere consueverant. Ceterum Sorbi quoque sup. teste Miklosichio (I, 495), cui Pful adversatur, utuntur interdum *dž* l. pristini *dj*, ut in ródža et kradža; *št* contra l. *kt* certe habent, dicentes štó pro sorb. inf. chto et, ut alia mittam, pro къто. Slovini ad orientem spectantes et in Hungaria habitantes eodem teste (I, 258 et 497) etiam *cht* itidem mutant et pro *kt* interdum *šč* quoque habent, v. c. in što, nišče, šteri et šteti pro къто, никъто, котерый et хътѣти. Adde serbo-croat. šći secundum p. 77; šćeti usitatum cum hotěti et htěti, vulgare boh. nešť pro nech-ť cet.

2) KJ, GJ et ChJ ita, ut iis omnes Slavi sibilantes persæpe substituant.

3) KV, PV et CHV, ubi iis *f* successit, ut in pol. obfity pro obkwity, in ufać, boh. úfati cet. pro оу-пъвати (cf. p. 95), non item in pewny et pevný. Simplex *f* pro *chv* Bulgaris nostris et Ruthenis, ut jam diu constat, magis arridet quam Croatis et Serbis, Ruthenis autem *chv* quoque l. *f* in deliciis est.

Corrigenda et addenda.

Pag.	vers.	
14,	26	lege пешть pro пешь
16,	38	lege prior. pro alt.
26,	28	lege *ž* et *č* pro *ž*, *c* et *č*
29,	25	lege влъхвъ pro влъхвь
30,	38	lege 71 pro 70
35,	6	lege efferendas pro efferandas
40,	20	lege etiam pro etim
„	33	lege 351 et 352 pro 35 et 1352
42,	21	lege 114, 115 et 116 pro 14, 15 et 16
„	28	lege втскали pro вшекали
50,	4	lege нзъ l. нзъ
51,	18	lege ъ et ь pro ъ e ь
55,	41	adde: Мысли объ исторіи рус. языка l. ad n. 132 p. 49 et 50.
56,	29	lege пятокъ, утокъ et pro пятокъ et
63,	22	lege sorbicis pro serbicis
64,	19	lege RG et pro RK et
68,	3	lege увязъ pro увязлъ
„	17	adde: Dalь sub кремль reapse habet кремъ et журавъ ac журавель sub журавль.
74,	23	lege PT et BD pro PT et BB
79,	39	lege ździebło pro źdiebło
„	40	lege eodemque pro eodem
80,	18	omitte et дроздъ
83,	27	lege pol. szewc pro pol. szwiec
93,	30	post quod adde: etiam непьтырь, нептырь et нептирь legitur ac
94,	1	lege depravatum est pro depravarunt